6
21-g
6 2/28
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
14 MA
24
...theca
... Rom.
Societ. Jesu
21-c-29
21.6.28.

21 g 44

Digitized by Google

Digitized by Google


VIR GI LIUS
CLAUDIAN,
STATIUS
Qua patet orbis.
FRID. RAPPOLTI
HEROICORUM
Liber.

Digitized by Google

FRIDERICI RAPPOLTI,

Sanctæ Theologiæ Doctoris, & in Academia Lipſienſi hactenus Poëſeos, nunc Theologiæ Profeſſoris Publici, inq; Maj. Principum Collegio Collegiati

POEMATUM
in
HEROICO
genere
hactenus vulgatorum

LIBER.

Cui accedit

Elegiarum, Trochaicorum & Jamborum
FARRAGO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,

Google

PERILLUSTRIBUS ET
DOMI

DOMINO

HEINRICO

LIBERO BARONI

à Frieſen

Dynaſtæ in Schönfeld / Putz-
kau & Jeſſen / Sereniſſimi ac Poten-
tiſſimi Electoris Saxoniæ Co-
miti, & Conſilii Intimi
Directori,

Bonarum Lite
ac Muſage

DOMINIS GRA
S.

Inclytiſſimæ FRISIORUM
D. FRID.

GENEROSISSIMIS
NIS

DOMINO

CAROLO

LIBERO BARONI

à Frieſen

Dynaſtæ in Röthau/ Gotte & Geſchwitz/Sereniſſimi ac Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Comiti, & Conſiliario intimo, ac Proto-ſynedrii Præſidi,

rarum Statoribus
tis ſummis,

TIOSISSIMIS
P. D.
genti addictisſimus
RAPPOLT.

BIBLIOTECA ... VITTORIO E...

MAgno ſemper in pretio habita fuit apud Principes Viros Poëtica; vel qvòd operam excolendæ darent ipſi, vel qvòd inter ſapientiæ inſtrumenta & laxamenta curarum aliorum ſcripta haberent, & re nullâ commodiùs præclarè à ſe geſta ad poſterorum pervenire memoriã poſſe exiſtimarẽt. Nam cùm ipſa per ſe liberali homine ac Heroũ ingenio digna ſit, tũ haut ſcio, an ulla magis diſciplina ſapientiæ præceptis imbuere hominum animos, aut feſſos laboribus & curis refocillare: aut, ſi inclareſcere velis, ad poſteritatis memo-

moriam transmittere rectè & cum laude facta poſſit. Octavianus certè (at qvantus imperator?) in tanta mole rerum, temporis aliqvid ei dare non alienum dignitate ſuâ putavit. Summatim attigiſſe, Tranqvillus memoriæ prodidit. Cujus & ætate extabat liber ſcriptus ab eo hexametris verſibus, argumento & titulo, Sicilia. Extabat & alter æqvè modicus Epigrammatum, qvæ ferè tempore balnei meditabatur. Nam tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo, abolevit; qværentibusq; amicis, quidnam Ajax ageret? re-

ſpondit, Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe. Tiberius qvoq;, non minor illo ingenio princeps, cùm cæteras artes liberales ſtudioſiſſimè coluit, tùm Lyrico præcipuè carmine excelluit. Fecit & Græca Poëmata, imitatus Euphorionem & Rhianum & Parthenium: quibus poëtis admodum delectatus ſcripta eorum & imagines, publicis bibliothecis inter veteres & præcipuos autores dedicavit. Jam Nero [cur enim non in malo qvoq; principe virtus probetur?] ad poëticam pronus carmina libenter ac ſine labore fecit, nec, ut quidam putant,

tant, aliena pro ſuis edidit. Abſolvit Suetonius, & veniſſe in manus ſibi pugillares ſcribit cum quibusdã notiſſimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis: ut facile appareret, non translatos aut dictante aliqvo exceptos: ſed planè qvaſi à cogitante & generante exaratos; ita multa & deleta & inducta & ſubſcripta inibi fuiſſe. Longum, imperatores cæteros, Hadrianum, Severum, Gallienum, Theodoſium, Honorium, Carolum Magnum aliosq; complures cõmemorare, & qvanta cum voluptate artem exercuerint, oſtendere. Solus Theodo-

ſius nunc ad partes veniat: cujus Auſonius in principio Epigrammatum ſic induſtriã commendat:

Bellandi fandiq; potens Auguſtus, honorem
Bis meret, ut geminet titulos: qvi prælia Muſis
Temperat, & Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter Cimbrosq; truces furtoq; nocentes
Sauromatas, qvantum ceſſat de tempore belli,
Indulget Latiis tantum inter caſtra Camenis.
Vix poſuit volucres ſtridentia tela ſagittas

Mu-

Muſarum ad calamos fertur
manus: otia neſcit,
Et commutatâ meditatur arun-
dine carmen.

Atq; ut ipſi nihil in hac arte præſtiterint, legendis tamen aliorum ſcriptis temporis aliquid impertiri non indignum majeſtate ſua judicarunt. Homeri ſanè Iliadem Alexander nunqvam de manibus depoſuit, ipſumq; ut aſſiduum comitem ac Magiſtrum armorum pariter ac vitæ habuit. Putabant enim excellenti prudentiâ homines, ſe ex poëtarum ſcriptis Heroica aliorum facta longè, qvàm ex hiſtoricorum

melius poſſe cognoſcere: qvòd hi plerunq; quales fuerint, illi qvales eſſe debuerint, commémorent, & cum utilitate jucunditatem conjungentes velut in ideâ facienda proponant. Verè namq; Horatius:

Nec magis expreſſi vultus per
ahenea ſigna,
Qvàm per vatis opus mores
animiq; virorum
Clarorum apparent.

Sed & ſuarum rerum inde immortalem gloriam apud poſteros ſibi promittebant; qvod ædituos eſſe virtutis Poëtas, & ad aliorum famam amplificandã laudesq; celebrandas omne ſtu-

ſtudium atq; ingenium convertere non ignorarent. Nota vox ſummi Macedonum Regis, principis oratorum approbata calculo, qvi cum in Sigæo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris. Nam niſi Ilias illa extitiſſet, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruiſſet.

Vixêre fortes ante Agamemona
Multi: ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiq; longâ

Nocte; carent qvia vate
ſacro.

Ex qvo honor & exiſtimatio Poëtarum ſumma, & amor ergà ipſos planè ſingularis. Scipioni Africano tàm charus & honoratus fuit Q. Ennius, ut qvem omnium expeditionum comitem habuiſſet, eum proprio ſepulcro condi voluerit, poſitâ ibidem ſtatuâ, ut clarum illud nomen, qvod è tertia ipſe terrarum orbis parte deportaſſet, in cinere ſupremo cum poëtæ titulo legeretur. Cæſar Auguſtus, qui tanti nominis majeſtatem rerum geſtarum amplitudine non implevit tantùm

ſed

ſed ſuperavit, P. Virgilium Maronem & Q. Horatium Flaccũ in amoribus ac delitiis habuit, menſæ ſuæ admovit, præmiis ornavit, opibus locupletavit, de graviſſimis deniq; rei privatæ ac publicæ negotiis in conſilium adhibuit. Eidem Virgilio agros paternos veteranis jam aſſignatos recuperavit Pollio, virtutis admiratione omnia ſumma ſtudia & officia præſtitit Mecænas: prodeunti in theatrum recitandorum gratiâ carminum, non minus atq; Imperatori ipſi aſſurrexit populus Romanus. Qvæ res mirificè extimulavit eorum, qui huic ſtu-

ſtudio unqvam dediti fuerunt, animos, & ad condendum carmen iynge velut traxit. Dicas, hunc ſpiritum fuiſſe, æthereis ſedibus venientem: hunc ſacrũ furorem vel enthuſiaſmum, qvo correpti Mũſarum fores pulſaverint, & ad res præclarisſimas memoriæ hominũ mandandas animum appulerint. Ac neq; noſtro defuerunt ſeculo, qvi illuſtrium virorum vel exemplo vel gratiâ incenſi ad vèterum poëtarum premenda veſtigia, & tentandum aliqvid vulgi ſtribligine majus, viam inſtiterunt. Qvorum niſi his qvaſi ſtimulis excitata fuiſſet

indu-

induſtria, næ cucurbitas cum aliis pingere, aut poſt fanum putre Vacunæ deliteſcere, multò qvàm his ſe laboribus frangere, ſatius duxiſſent. Neq; ita emarcuere hominũ ingenia, ut non aſpirare aliqvà ad priſcorum vatum vel exprimendam, vel imitandã carminis majeſtatem elegantiamq; poſſint. Auſim uno plures Marones orbi promittere cum Martiali, ſi, qvi ad clavum Reip. ſedent, Mecænatis induere perſonam, aut exprimere benignitatem ſuſtineant. Qvem Vos hodie ſic repræſentatis, Gratioſiſ-

SIMI DOMINI, ut non ipſi tantùm hæc humanitatis ſtudia calleatis, raro & imperatorio exemplo; ſed & illorum amantes omni benevolentiâ complectamini, & ad majora indies tentanda inſtigetis. Mihi certè (qvid enim diſſimulem?) cum & ingenii à natura contigiſſet aliqvid, & doctrina atq; exercitatio vim inſitam promoviſſet, Veſtra, Heroes, gratia approbatioq; non parum ad urgenda continuandaq; hæc ſtudia, qvæ inter πάρεργα habebam, roboris conciliavit. Vos Caſtorum inſtar mihi fuiſtis,

fuiſtis, &, ut huic alto tenuem phaſelũ committerem, benefici ſideris affulſione animum addidiſtis. Nam cum intelligerem, non diſplicere Vobis mea carmina, tantò alacriùs in elaborandis illis ſum progreſſus, qvantò Principibus placuiſſe viris laudabilius putavi. Qvæ cum in corpus nunc redacta ſint, qvibus potiori jure, qvàm Vobis dedicarem, non inveni. Nam & ſub veſtro patrocinio pleraq; facta ſunt, & nõ pauca illorum ex illuſtri familia Veſtra argumentum ſumſerunt. Legetis hîc, SE-

MONES, honorum, qvibus conſiſtitis, faſtigia: invenietis in clientes collata beneficia ſumma: animo repetetis pietatis, in materno funere oſtenſæ, inſignia: generoſitatis in ſobole & paternæ indolis non una videbitis documenta. Totam verò carminum compagem immortali ſeculi decori, HENRIETTAE CATHARINAE, Viragini ſuprà laudem, in ſolidum adſcribetis. Qvæ, ut ingenio eſt & amore in has literas, non deſiit ad edenda illa identidem me hortari: &, cum annuiſſe aliqvando viſus

ſus eſſem, ut debitum poſtea hoc,qvicqvid eſt,repopoſcit. Qvod ego, ne malum eſſem nomen, omni ſtudio enitendum mihi judicavi, ut ſolverem, nec tantæ Heroinæ temerè auctoritatem defugerem. Qvanqvam enim ut penitùs exirem hoc ære, aut expectationi ex aſſe reſponderem,valdè vererer: ſatius tamen exiſtimavi, obſeqvii & fidei tueri gloriam,atq; aliqvà ſaltem juſtiſſimæ exactioni ſatisfacere, qvàm mensâ planè ſurgere aut conturbare. Nimirum apro mihi,aut avi, aut ſaxo [cum his enim debitorem

torem comparat Venuſinus] eſſe cum non liceret: arborē imitari, & bonæ frugis aliqvid ſaltem dependere bonum factum putavi. Accipite ergò, HEROES, Heroica hæc mea ſerenâ fronte, & qvod affulſiſtis homini adhuc geminum ſidus, proprium ac perpetuum ei eſſe ſinitote. Exiguum, fateor, qvod Vobis ſtatuo, monumentum eſt, & neqvaqvam tale, ut in arce poni poſſit, qvaſi illa Minerva Phidiæ: ſpero tamen, ab illuſtri Veſtra Gratia patrocinioq; non parum pretii præſidiiq; ei acceſſurum.
Nam

Nam & qvi ab Apelle tãtùm pingi, à Lyſippo fingi dignus erat, Regum maximꝰ, incultos nihilominus & malè natos Chœrili verſus alicujus æſtimavit. Deus Vos Illuſtriſſimæ domui Saxonicæ, Patriæ, Eccleſiis, Academiis, Scholis, familiæ ac genti qvàm diutiſſimè incolumes ac ſoſpites conſervet. Scribebam Lipſiæ Kal. Maij A.E.C. cIↃIↃcLXX.

AD LECTOREM.

DE *duobus mihi monendus es*, LECTOR ERUDITE, *quorum alterum* libellum *ipſum, alterum* Editorem *concernit. In* illo *invenio, quod arguere rigor tuus poßit; ſed & quod abſolvere humanitas. Legem Epici carminis in Biduo Iohanneo neglexi, quam in cæteris ſic ſatis religioſè obſervavi.* Α'υτὸν γαρ̀ δεῖ τὸν ποιητὴν ἐλάχιςα λέγειν†. *Nempe ut Homerus, pauca præfatus, ſtatim virum introducit ali-*

† *Ariſtot. lib. de Poëtica c. 24. p. 58. edit. Heinſ.*

mentum, & hiſtoriæ, qvam migrare nolui, veritas poſcit. In eodem libello offendiculo tibi eſſe crebra gentilium deorum mentio poterat, indigna fortè homine ſacris ſtudiis addicto. Sed in qvo aliorum me tuebitur auctoritas. Grotii inprimis, ſic ad fratrem de ſuis perſcribentis: Qvid ſi etiam
" ſiniſtrorſum aliqvis rapiat,
" qvòd more poëtarum, re-
" cepto magis, qvàm lauda-
" bili, Deos interdum nomi-
" naverim? qvod profectò,
" vigente paganiſmo, flagi-

 tio

" tioſum fuerat: nunc peri-
" culo caret. Sciunt qvip-
" pe omnes, eâ voce modò ſi-
" dera, modò elementa, mo-
" dò mentes ætherias, modò
" inſignes viros, modò Dei
" unius virtutes ac dona in-
" telligi. *Non abit ab hoc Johannis Petri Lotichii judicium, qvi totam hanc cauſam in Commentario Petroniano * non minus graviter qvàm copioſè perorat. De* Editore *hoc te ſcire velim: per me ſi res ſtetiſſet, nunqvam forte aut collectos, aut incudi redditos hos verſus. Nunc cum*

* *in Arbitri Satyricon L. II. p. 224.*

cum ille debito, quo caput obſtrinxeram, liberare me vellet, aut gratum etiam harum literarum amantibus aliis facere, tantum abeſt, ut impedire conatus illius potuerim, ut in amicitiæ parte haud minimâ officium collocarim. Nam & colligendi labore me ſublevavit, & ut nullo meo ſumtu exſcriberentur, effecit, & emendandis typografphorum maculis operam non parvam adhibuit. Quem ſi de cætero in laudes meas nimis pronũ cognoveris, amore,

EPIGRAMMATA

I.

In iconem Summi Viri

FRIDERICI RAPPOLTI

Theologi, Philoſophi, Poetæ, Polyhiſtoris excellentis.

HAc dedit immenſos ſpecie tibi parvula, Lector,
Lamina doctrinæ nobilioris opes.
His Arpinates oculis, hoc ore Maronas;
Totum hac Hopſnerum fronte latere puta.
Ingenio laus cuncta minor, virtuteq; dignum
Sola Viri facies eſt epigramma, ſuâ.

II.

In ipſius Heroicorum Librum.

BArlæis dum forte ſuis Grotiisq; ſuperbam
Battaviam nuper Miſnia noſtra videt:
Ridet, & in faſcem ſchediaſmata colligit unum
RAPPOLTI dederat quæ cata dextra mei.
Ergò tuis inquit, ſolùm Parnaſſus in oris
Surgat, & unius litore Cyrrha fluat?
Pauca ex innumeris animos poſuiſſe feroces
Hæc poterant; uno noſcitur ungve leo.
Elige, num placeat Barlæum hunc dicere Noſtrum,
Barlæum an Noſtri nomine ferre tuum?

III.

Ad Poëmatum Editorem

FRIDER. BENED. CARP-ZOVIUM

Fratrem optimum.

HEroa Herois, Frater dilecte, Poeta
Sparſa in non magnum colligis orſa librum.
Quantulus hic labor eſt, ais, & qua portio laudis
(Tota ea Rappolti eſt) pullulet inde mea?
Quarere ſi par eſt virtus ac parta tueri,
Par tua, par Summi gloria Vatis erit.
Abnuis, ac vanis tibi fratrem illudere verbis
Ringeris, & nugis abſtinuiſſe jubes.
Non ego vel laudi divini detraho Vatis,
Vel frater Graccho Mutius eſſe velim.
Ipſe tamen grates, cui tu tam nobile ſervas
Depoſitum, Frater, doctior orbis aget.
Ac velut ingenium Rappolti prima manebit
Gloria, ſic curam palma ſecunda tuam.

Declarandæ
hinc filialis obſervantiæ, hinc
fraternæ benevolentiæ causâ
Scrib. VVitteberga d. VI. Kal.
Maj. cIↃ IↃc LXX.

M. SAM. BENED. CARPZOV.
Deſignatus Poëſeos Profeſſor
in Academ. Wittebergenſi.


FR.RAPPOLT

VIRO
DE BONIS LITERIS IMMORTALITER MERITO
FRIDERICO RAPPOLTO
THEOLOGO, POETÆ, PHILOSOPHO PER UNIVERSUM ORBEM CELEBERRIMO,
OB
COELESTE INGENIUM,
CONSUMMATAM ERUDITIONEM,
FERTILEM IN COMMODA PUBLICA INDUSTRIAM,
LIPSIENSIUM VARRONIS
NOMEN
IAMPRIDEM APUD EXTEROS SORTITO,
NUNC
A PROFESSIONIS POETICÆ AMPLISSIMO MUNERE, QVOD
HACTENUS MORE MAJORUM, QVI EOSDEM SACERDOTES NUMINUM QVOS POETAS AB HIS AGITATOS HABEBANT, AC INDIVULSO NEXU POESIN THEOLOGIÆ SOCIABANT,
PRÆCLARE PER XIV. QVASI ANNOS
GESSERAT, DECEDENTI
THEOLOGICAMQ. AUSPICANTI,
IN UTRAQUE
SUMMO PRORSUS AC INCOMPARABILI
DOCTORI,

PRO-

PROPTER

INGENTIA DOCTRINÆ AC ERUDITIONIS MERITA ÆVI LAUDEM SUPERGRESSO,

FASCEM HUNC HEROICORUM

IPSIUS CARMINUM

QVÆ CUM LIBERE HACTENUS VAGARENTUR, VERITUS NE DIVAGATA

MEMORIAM POSTERORUM EFFUGERENT ET ÆTERNITATI TEMPORUM QVAM MEREBANTUR EXCIDERENT

COLLEGIT

INQ. ELEGANTISSIMO OPERE EDENDO OBSTETRICIO MUNERE FUNCTUS SIC CONGESTUM AC COARCTATUM

VOLUMEN

AUTORI

TOLLENDUM EXHIBET,

ET

QVÆ SCULPTOR CÆLO, RHETOR SERMONE, POETA

CARMINE NON POTERANT DIGNA REFERRE SATIS,

IMAGINE, SERMONE, VERSU RUDI QVIDEM, SIMPLICI, INCONDITO DECENTI TAMEN, PIO, OFFICIOSO

VENERATUS

PIETATIS AC OBSEQVII TESTANDI CAUSA

D. D. D.

FRIDER. BENED. CARPZOV.

LIPSIENSIS.

Ad
Ampliſſimum Autorem.

INgenii divina quidem monumenta dediſti
Claraq́ꝫ, ſed levibus ſparſa RAPOLTE ſchedis.
Quas dum inter metuo pereat ne imitabile nulli
Et mortale ſonans nil, grave forſan epos.
Heroos, cuncti quos admirantur, & unus
Negligis, ô ſchediis non ſatis aque tuis!
Aſſiduè numeros conquiro, colligo, corpus
Inq́ꝫ unum revoco, quot reperire datur.
Quos peregrina legens turba, aut antiqua tuliſſe
Secula, vel mundo priſca rediſſe putet.
Utq́ꝫ tuum, jactet ſi nomina magna Vetuſtas,
Ponamus contra plurima ſecla caput.
Congeſſit nec enim tot opes Heliconis in ullum
Atq́ꝫ in Te toto prodiga Muſa ſinu..
Cujus non leviter tetigit levis ungula frontem
Pegaſea, hac Helicon Cyrrhaq́ꝫ tota latet.
Et ſeu per grandes rapias auguſta cothurnos
Senſa, leves facili ſeu canis ore modos:
Nunquam Phocis abeſt: Quin Vati Numina ſacro
Caſtalio affundunt pocula plena lacu.
Laudibus ergò tuis neq́ꝫ præſens ſufficit ævum;
Sed devinxiſti poſtera ſecla Tibi.
Jamq́ꝫ adeó pretium tantorum Fama laborum
Te manet: Hac, ingens quà patet Orbis, eat.

Sola

Sola tamen minus eſt pretium; qvo, creditor ultra,
A gratâ majus poſteritate feres.
Aſt ego dum meditor Tibi dignas ſolvere grates
Res qvantò eſt major viribus iſta meis!
Et minor ipſe mihi ſum viſus laudibus iſtis,
Digna qvod eſt Muſis gratia nulla meis.
Forte unum poteram, ſi me Tibi reddere vellem;
Tot meritis minus hoc ſed qvoq; munus erat.
Qvarendum majus fuerit. Non majus habebo
Omnia qvam reddam ſi tua Meq; Tibi.
Munera Te digna & mihi commoda: Munere famæ
Nam ſimul ipſe Tuæ, dum Tua reddo, fruor.

AUTORI

Obſervantiæ monumentum ſuiq; memoriam extare cupiens, hæc ſcribebat

EDITOR

FR. BEN. CARPZOV.

BIDU-

BIDUUM JOHANNEUM.

HOC EST

RES AB ILLUSTRISSIMO SAXONIÆ PRINCIPE ATQVE ELECTORE

JOHANNE

HEROE PIETATE ET CONSTANTIA INCLYTISSIMO,

IIX. ET IIIX. KALEND. QVINTIL. A. C. cIↄ Iↄ XXX.

AUGUSTÆ VINDELICORUM GESTÆ

ET

MEMORIÆ AC GRATITUDINIS ERGO

CARMINE HEROICO INAUGURALI

IIIX. KALEND. JULII. A.C. cIↄ Iↄc LVI.

IN MAJORIS PRINCIPUM COLLEGII AUDITORIO DECANTATÆ.

A Im-

Sola tamen minus eſt pretium; qvo, creditor ultra,
A gratâ majus poſteritate feres.
Aſt ego dum meditor Tibi dignas ſolvere grates
Res qvantò eſt major viribus iſta meis!
Et minor ipſe mihi ſum viſus laudibus iſtis,
Digna qvod eſt Muſis gratia nulla meis.
Forte unum poteram, ſi me Tibi reddere vellem;
Tot meritis minus hoc ſed qvoq; munus erat.
Qværendum majus fuerit. Non majus habebo
Omnia qvam reddam ſi tua Meq; Tibi.
Munera Te digna & mihi commoda: Munere famæ
Nam ſimul ipſe Tuæ, dum Tua reddo, fruor.

AUTORI

Obſervantiæ monumentum ſuiq; memoriam extare cupiens, hæc ſcribebat

EDITOR

FR. BEN. CARPZOV.

BIDU-

BIDUUM JOHANNEUM.
HOC EST
RES AB ILLUSTRISSIMO SAXONIÆ PRINCIPE ATQVE ELECTORE
JOHANNE
HEROE PIETATE ET CONSTANTIA INCLYTISSIMO,
IIX. ET IIIX. KALEND. QVINTIL. A. C. cIↄ Iↄ XXX.
AUGUSTÆ VINDELICORUM GESTÆ
ET
MEMORIÆ AC GRATITUDINIS ERGO
CARMINE HEROICO
INAUGURALI
IIIX. KALEND. JULII.
A.C.cIↄ Iↄc I.VI.
IN MAJORIS PRINCIPUM COLLEGII AUDITORIO DECANTATÆ.

 Im-

IMmortale fave Numen, Rex ætheris alti
Terrarumq; potens, vaſtum qvi digeris orbē
Prudenti arbitrio, & volucri levitate per ævū
Ire ſuo mandas labentia tempora curſu,
Et lapſa inſtauras converſo cardine rurſus,
Annorum pater & promus condusqve dierum.
Lux dicenda mihi, qvâ per ſtata ſydera mundi
Centum & bis denos circumfluus annus in annos
Sexqve abiit, noctiqve dies immiſſa profundæ
Auſonias pepulit tenebras, cœlumqve retexit:
Et dicenda mihi gemina eſt: qvanqvā altera geſtis
Pulchrior, eventu præſtantior altera facti.
Namqve ubi pòſt caſtum Jeſſæa è Virgine partū
Secula Phœbus eqvis ter qvinq; exegerat, annos
Terqve decem, Juni qvinta & viceſima menſis
Dogmata Lutheri, qvid Lutheri? ipſa Jehovæ
Dogmata, qvod populis viſum mirabile cunctis,
Imperii exhibuit ſociis Caroloqve probavit:
Qvodq; minus potuit præſtare heſterna Johañis,
Lux hodierna dedit fœliciter orta Johanni,
Ac Ducibus reliqvis. Sed tu, mea Lipſia, ſpiſſis
Obruta tum tenebris, nec adhuc educta latebas,
Educenda tamen paulò poſt Numine dextro.
Magne Pater Patriæ, campo decurrere in iſto
Tantiſper patere, & tenui me tangere verſu
Ornamenta tuæ gentis, dum munere fungi
Mandato incipio, vacuamq; hanc Vate cathedram

 Aſcen-

Aſcendens creperis ſplendorem qværo tenebris:
Et ſi fortè minus tantarum momina rerum
Verſu æqvo, pietas placeat tibi noſtra, beatis
Qvæ cultum & meritos poſt funera præſtat honores.
Nec minimam tamen ipſe prior, Dux optime, partem
Aufer, qvando, aliis qvæ ſunt benè parta, tueris,
Et tanti decoris ſeriem transmittis in ævum,
Par celſo ingenio, par & virtute Johanni:
Atq; has ô longum partes age, Magne renatæ
Relligionis apex vindexq; acerrime, SAXO.
Et tu qvi celſo moderaris publica nutu,
Atq; omne hoc animas SCHVVENDENDORFERE Lyceum;
Sis facilis, ventumq; precor largire ſecundum
Tentanti hoc pelagus, ſcopulis ne illiſa dehiſcat,
Et tanto miſerè mergatur in æqvore puppis.
Tuq; Henricorum veterum generoſa propago,
RUTHENE, è blando qvem ſpiras inclute vultu,
Huc Zephyrum verte, & vela hæc placidiſſimus imple,
Pandere qvæ Pietas, Majorum chara tuorum
Nutrix, & SAXO me juſſit, ſplendidus Heros.
Vosq; adeò CONSUL, Vos qveis curæ acta diei
Roſtra per & cathedras, & qvo mens alta Lutheri,
Par magno Alcidæ, proſtraverat ante Leonem,
Exili calamo, qvæ verbi ſumma poteſtas,
Aſſerere intrepidè: qvorum vel maximus hic es
Hülsmanne, Auſoniæ terror meretricis, & hujus

Olim etiam raſas contrà generoſe cohortes
Defenſor fidei. Vos ſanctæ fulcra Themiſtos
Et Legum Atlantes, qveis veram oſtendere pubi
Jus per utrumq; viam, cauſaſq; orare voluptas
Et trepidos ſervare reos. Vos alta Medentum
Sidera, Pergameo nil conceſſura nepoti,
Nil Coo Hippocrati, aut Spartana è gente Melampo.
Deniq; vos Sophiæ Proceres, chariſſima nobis
Pectora, ſive ætas cano indeflexa capillo,
Et ſtudii communis amor pietaſqve verendos
Vos mihi, amicitiæ ſeu me non irrita vobis
Fœdera conſociant. Tuq; ô qvam pulpita circum,
Ad decus ac laudem natam, ſtudioſa Juventus,
Adſtantem latè & doctorum ſcamna prementem
Ad calcem video. Vos, inqvam, huc vertite cuncti
Pectora, & attentas aures adhibete canenti,
Si placet, & primos Vatis non ſpernitis auſus.
Jam de Cimeriis paulùm ſe emerſerat umbris
Relligio, & veteres rurſum aſpirabat ad ortus,
Libera præceptis hominum faſtuq; futura,
Soli addicta Deo, raſorum obnoxia nulli,
Nulli Pontificum: qvalem ſe oſtenderat olim
Patribus, & primis poſt incunabula ſeclis
Divi Hominis Chriſti. Jamq; indulgentia mendax
Et fraus Tezelii mundo detecta patebat,
Fraus immò Auſonii Papæ detecta patebat
Indice Luthero, & monſtri intoleranda poteſtas
In miſeras animas. Neq; enim durum amplius orbis

Ferre

Ferre jugum poterat tantoq; ſubeſſe tyranno:
Cum nova Tiſiphone,regno viſura ruenti
Conſilia atq; novas agitat ſub pectore fraudes.
Ac primum Latium aggreditur furibunda Leonē,
Inq; iram exſtimulat,tenera ut ſuccidat in herba
Protinus exſurgens Romæ molimina contrà
Relligionis opus: Lutheri dogmata damnet,
Exuriq; libros jubeat, munusq; docenti
Abroget,& ferro tollendum igniq; per orbem
Nunciet,ad veteres avias niſi ſponte recurrat.
Paruit ille Deæ ſtimulis, mundiqve dynaſtas
Induperatorem Carolum & mitiſſima longè
Pectora Fridrici,qvo non ſapientior alter,
Et lenire feros animô,& ſuccurrere preſſis,
Sollicitat veræ contra pietatis amantes,
Lutherum inprimis,qvem reſte & carcere dignū,
Et brevibus clamat Gyaris tunicaq; moleſta,
Autorem ſcelerum turbatoremq; qvietis,
Uſus in hoc rerum mitratis cardine Myſtis
Cajeta & reliqvis: qvorum labor omnis in illo eſt
Exortum ut reprimant jubar & Papalia firment
Decreta ac Bullas: vel,ſi minus illa valerent,
Pullitiem infauſtam contra gentemqve Lutheri
Orco Hecateq; ſatam magnatum triſte venenum
Inſinuent animis atq; iris pectora acerbent.
Nec prius abſiſtunt,qvàm celſa fulmen ab arce
Fallaci captus Latiæ meretricis amore
Vibret,& hæretico (ſic namq; vocare ſolebant)
Luthero Cæſar Lymphâ interdicat & igni.
Qvanqvam ægrè adductus juſti ſervator & æqvi

Et pietatis amans Latii Jovis annuit auſis,
Nec niſi ſera probat. Cujus Bononia mentem
Poſtea, & ingenium mite eſt teſtata bonumqve,
Concilium Papam cum poſceret, & grave verbis
Confeſſu in medio de relligione fideqve
Judicium ferret, Patrum mirante corona
Ingentes animos Juvenis curamq; virilem.
Sed non Lutheri movit truculentia pectus
Pœnarumve metus: qvin, ceu Marpeſia cautes,
Obvia ventorum furiis expoſtaqve ponto
Vim cunctam atq; minas perfert cæliq; marisq;,
Staret, & impavida rideret mente furores,
Numinis auxiliô fretus Procerumqve favore.
Atqve etiam ærumnis animoſior impete Vaſto
Miſſarum aggreſſus cenſus raſæqve cohortis
Impia vota libris, dum Pathmo incluſus agebat,
Fulcra duo Latiæ ſedis qveis hactenus omnis
Vis ſteterat roburq; virûm regniq; poteſtas,
Subruit, invicto ceu qvondam robore Samſon
Aulai in medio pilarum ſtructile textum
Evertit verſumq; ferum conjecit in hoſtem.
Nec minus enituit Lux relligionis avitæ,
Et verbi antiqvâ pulsâ caligine, lampas.
Emicuit, tenebris nec qvicqvam obſtantibus,
Auſter
Qvâ ſeſe, & Boreas jactant Zephyriqve tepentes,
Neſcia limitibus conſtringi ampliſſima parvis.
Saxonicæ nec enim tantum ſe finibus oræ
Aut parvis tenuit latebris. Ut fulgur in omnes
Terrasqve tractusqve maris ſeſe intulit alti,

Et

Et fulgore ſuo, qvô venit, pectora ſtrinxit,
Nam cum ante ingeſtis divini Oracula verbi
Obſita pulveribus tenebrisq; immerſa jacerent
Indoctis pariter doctisq; incognita, vulgò
Jam poterant converſa legi Germanide Lingua,
Et priſca heu miſeras caligine ſolvere mentes,
Educta è ſpecubus dias in luminis oras
Ignavorum hominum tonſæq; erepta catervæ.
At tibi JANE Pater Dux Illuſtriſſime, Magne
Enſifer Imperii, tenuem & ſine pondere terram,
Spirantesq; crocos & in urna perpetuum Ver!
Cujus mens animoſa Deo, non paſſa furores
Ulterius Latiæ procedere Præſidis aulæ,
Donatamqve iterum divino munere Lucem
Suſtinuit Satanæ contra mundiqve furores
Aſſerere, & latas verbo recludere portas,
Cum ſociis, qvos una fides ſpes una jubebat
Ire animis contrà & generoſam occumbere mortē
Pugnantes potius, qvàm cœli prodere cauſam,
Aut Latio dare colla jugo rigidoqve capiſtro.
Qvanqvam haud præcipiti bellū ratione parabat
SAXO Pater; ſed cuncta prius librabat ad ungvē
Verſabatqve animò, melius decernere ferro,
Irarum an placidis ſopire incendia dictis?
Jamqve Auguſtana conventum indixerat urbe,
Compoſito Italiæ bello rebusqve peractis
Cæſar, & Imperii Proceres ſummosq; Dynaſtas
Conſulere in medium Turcæ molimina contra
Juſſerat aqve focis hoſtem defendere & aris,
Usqve ab Hyperboreis graſſantem milite campis

Teutonicisq; plagis ferrum flammasq; minante.
Juſſerat & veteres tandem componere lites,
Qvas in Germanis diſcordans moverat oris
Relligio, inq; unum cunctos concedere verum;
Et rata concordi traducere fœdera nexu,
Uno ſub capite ut diverſa in corpore membra
Conſpirant, unamq; petunt diverſa ſalutem,
Utq; unum vexilla ducem turmæq; ſeqvuntur.
Hincq; adeò cauſas tranqvillis dicere verbis,
Compoſitisq; animis, nec tanqvam ad triſte tribunal
Æſonidæ immitis vel Creſſi Judicis urnam.
Sed trepidare ſuæ parti, nec fidere dictis
Illicò Saxoniæ Elector fortiſſimus Heros,
Et magis inſidias clandeſtinasq; vereri
Pellicis Auſoniæ fabricas fraudesq; nefandas:
Securos qvando tutosq; haut eſſe ſinebant
Clementem Carolumq; inter firmata Monarchã
Fœdera, ſi verum retulit tùm fama per Alpes
Adveniens, pullos exſtirpatura Lutheri
Funditus, & ritus inſtauratura priores.
Ambigere hinc, urbem peteret mandata faceſſens
Cæſaris, an ſociis venienti occurreret armis
Elector, Latiiqve gregis præverteret ictus,
Utile qvod multis viſum. Sed ad arma ruentes
Lutherus revocans dictis. Qvô tenditis, inqvit,
O Proceres, humeros qvid cingere compulit armis?
Non his auxiliis, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget. Deus ipſe Deus pro dogmate verbi
Excu-

Excubat,& propriã tam duro in tempore cauſam,
Ut verè propria illa Dei eſt, non veſtra, tuetur.
Vos arma, in ſacris nil proficientia rebus,
Mittite: per varios reparanda Eccleſia caſus,
Sincerusq; Dei cultus revocandus in orbem.
Orate & vosmet vitæ ſervate futuræ.
Dixerat. At SAXO auxilio confiſus JOVÆ,
Et precibus magis atq; fide qvàm ultricibꝰ armis,
Fraude mala plenos depugnaturus in hoſtes
Singula comitiis obeundis ritè parabat:
Doctrinæ inprimis ſanæ conſcribere ſummam,
Et fidei è cathedris vibratæ voce docentum
Fundamenta jubens, Carolo oſtendenda potenti
Ac Ducibus reliqvis unâ præſentibus urbe.
Nec mora; rem totam denis ſeptemq; Lutherus
Expedit articulis,primamq; operi impiger illi
Admovet ipſe manum,qvid credat concio,morſus
Oſorum contrâ diræqve tonitrua lingvæ,
Perſpicuâ ratione docens atqve ordine pandens:
Unum nempè Deum,tres uno in numine,Patrē,
Et Natum,& Flatum,perſonâ ab utraq; profectū
Majeſtate pari, paribus virtutibus eſſe:
Solum ex his natum moribundi corporis artus
Aſſumpſiſſe Deum de caſta virgine: Solum
Factum hominem mundi ſordes in carne luiſſe,
Naturis geminis perſonæ fœdere nexis
Unius, vereqve Deo patiente dolores.
Ingenitam æternâ labem morte atqve flagellis,
Ipſe niſi Chriſtus pœnam luat, eſſe piandam,
Nec peccatilli ſignandam nomine; Vires

In nobis nullas penitus hærere, nec ulla
Juſtitiam nobis afferre opera atqve ſalutem;
Solam poſſe fidem juſtos facere atqve beatos,
Non natam humano in cerebro, non artibus ullis
Inductam humanis, ſolius munere JOVÆ
Creſcentem in noſtris animis, fructusq; ferentẽ:
Verbũ hanc & verbi menti ingenerare miniſtros,
Signaqve viſa oculis, qvæ Sacramenta vocamus:
Nec liqvido tantum perfundere flumine Myſtam
Infantem: junctam vim verbi eradere ſordes
Infectumqve ſcelus, veteris contagia culpæ;
Cœleſtes epulas non ſolo pane cibare,
Nec ſolo potare mero: ſed corpore Chriſti
Sangvineqve afflictas pretioſo paſcere mentes?
Pœnam autem haut multò cruciatibus eſſe minorem,
Qvos aut Cæditius gravis invenit aut Rhadamantus,
Criminis admiſſi non antè ignoſcere culpæ,
Qvàm lapſus aliqvis minimum numerârit ad ungvem:
Manſurum in terris ad mundi usq; ultima cœtũ,
Hærentem amplexu Chriſti durosq; ferentem
Perverſorum hominum inſultꝰ Satanæq; furores,
Immerſumqve malis, nullo ſplendore videndum:
Venturum ætherea, cum buccina clanget, ab aula
Divum hominẽ, ut vitas patrataq; crimina diſcat
Qvæſitor, damnetq; Erebo (miſerabile!) ſontes,
Atqve pios cœli vocet alta ad ſidera manes:
Interea in terris, populum qvi lege gubernent,

Ad-

Adſtrictisq; hominũ mores moderentur habenis,
Delectos Proceres,ſanctè &reverenter habendos,
Ipſiusqve Dei dignandos nomine,donec
Ipſe ad judicium faciendum accinctus JOVA,
Majeſtate potens & ſummô clarus honore
Adveniat, mundiq; levet hoc faſce Dynaſtas:
Inventum Satanæ & Monachorum eſſe otia,
Clerum
Conjugio prohibere,ciboqve aſtringere certo
Caſtas velle animas,æternáq; gaudia votis
Obſcœnorum hominũ &larvis promittere tonſis.
Rem deteſtatam peſſumqve ad Tartara dandam
Eſſe operam, raſâ qvam ſumat gente ſacerdos
Miſſifico in ſacro,ritu cum fervet inani,
Et modò voce Deum clamat, modò pronus ad
aram
Murmura præpropero contortuplicata rotatu
Plurima ſecum intùs tacitô ſub pectore volvit.
Tollendos penitus ritus,qvicunq; repugnent
Verbo,Chriſte,tuo, veterum ex errore profecti,
Servandos reliqvos,ne pax turbetur in orbe.
Hæc & plura pius tum chartis puncta Lutherus
Deformat,ſocioqve jubet polienda Philippo
Tradere,&extremam cœptis limam addere dictis
Nam velut extructis faſtigia ponere tectis
Artifices,rudibusqve ſolent mira arte figuris
Peniculo vivos ſuperinduxiſſe colores:
Sic pulchrè inventis rebus ſcriptisqve Lutheri,
(Dicere qvid verear,cum nec neget ipſe?)diſertus
Addidit ornatum pulchrum plerumqve, Me-
lanchthon,

Et molem inceptam tenues eduxit in auras,
Ordine cuncta ſuo diſponens: qvanqvā ea cuncta
Viſa iterum atq; iterū prior ille probaverit autor.
At pius Elector rebus ſic rite paratis
Auguſtam ingreditur primus, comitemqve Philippum
Atqve Spalatinum Jonamqve adducit, & urbe
Islebiâ Agricolam ſecum, natumqve Johannem
Fridricum in primis, Patris Patruiqve verendi
Germanum ſpecimen. Reliqvi qvos ordine cuncti
Romani Imperii proceres ac fulcra ſeqvuntur,
Marchio præclara virtute GEORGIUS heros,
Illuſtriqve ſati, majoribus æmula proles,
Stirpe Duces Lunburgiaca FRANCISCUS & alter
ERNESTUS, belliqve auſis metuendus & armis,
HASSIACUS, firmo devincti fœdere cuncti.
Donec & ipſe urbem Rheni pacator & Iſtri
Induperator init Carolus, cui frater, & aula
Miſſus ab Auſonia (malè namqve ſibi ill. timebat)
Addiderat ſeſe comitem Campegius acer,
Excepti ad pontem totâ ſtipante catervâ
Magnatum imperii. Sed nondum commoda rebus
Tempora tractandis. Nam pomum imitis Erinnys
Spargit, & heu veri cœleſtia dogmata verbi
Pandentes prohibere jubet vocemqve per urbem,
Principibus multum Carolo adverſantibus, & vel
Doctrinæ puræ vitam pro laude paciſci,
Qvæ generoſa fuit vox & laudanda GEORGI,
Atqve extrema pati cupientibus omnia, qvàm Te

Qvàm

Qvàm verbumqve tuum deraſæ prodere turbæ,
Chriſte, Patris ſoboles. Vicit tamen improba vicit
Tantiſper Latiæ Thaidos ſententia, & urbi
Stentoreo impoſuit populum clamore vocantes
Ad ritus veteres & ſacra infanda miniſtros.
Illo nempe die juſſus Deus eſſe, qvod audit
Sigalion, vel qvi ſublato pollice lingvis
Imperat Harpocrates, ſtatuâ taciturnior omni,
Perqve auguſta ſacrum raueeſcere mœnia Verbû.
Atqve etiam inter ſe commiſſi claviger Heros
Petrus, & enſe potens Paulus Tarſenſis, ut ille
Pectora dura hominum dictis reſeraret, at iſte
Mollibus alloqviis non inflectenda ſecaret.
Prima tamen, tribuente DEO, ſolatia feſſis
Exſpectando animis qvarta & viceſima menſis
Attulit, à juvenum jucundo nomine dicti,
Lux, Zachariadæ feſto ſacrata Johanni.
Namqve illâ ſolio Cæſar conſedit in alto,
Et procerum imperii manus auguſtiſſima juxta,
Et prius auditis, placido Campegius ore
Diſſidia imperii contra qvæ fortè ferebat,
Mox juſſi SAXO atqve Duces huic fœdere juncti
Edere, qvæ fidei ſtudia in contraria ſcindi
Germanos jubeat Confeſſio, ſemina litis
Qvid ferat, & regni faciat diſcedere partes,
Inqve Othomanigenam, Phlegetontica ſemina, gentem
Vertendum, in ſocios & viſcera propria ferrum
Torqvere, & patrios perfundere ſangvine campos?
Tum Carolo illi omnes, poſtqvâ data copia fandi,

Et plebs conticuit, devoto aſſurgere cultu,
Et ſcriptum geminâ lingvâ oſtendiſſe libellum,
Doctrinæ veræ ſponſorem & nobile pignus.
Et prior, Hîc, inqvit SAXO, imperterritus Heros,
Noſtræ, Cæſar, habes fidei argumenta, ſereno
Qvæ Tu, per ſacrum qvod Te diadema rogamus,
Per ſi qvid ſacro majus diademate, & ipſum
Immò DEI invictum Numen, dignabere vultu,
Et placida aure bibes, clara dum voce legentur
Aulai in medio, menteſqve haut irrita tangent.
Nulla hîc abnormæ cernes deliria ſectæ,
Errores nullos. Qvod ſi fors abſtulit ullus,
Pectora, confeſtim moniti meliora ſeqvemur,
Atqve herbam victi dabimus. Sin omnia Verbo
Congrua cœleſti & ſacris ex fontibus hauſta,
Ut ſunt hauſta ſacris ex fontibus omnia, Cæſar,
Ne patere hæreticis adſcribi innoxia turbis
Nomina, nec terris divina oracula noſtris
Invide, in immeritos aut ferrum ſtringe colonos.
Dixerat: at nondum penitus placidiſſimus Heros
Annuit: Ipſe ſibi tradi vult ſcripta, nec ante
Poſſe ait imperii ſeſe componere lites,
Aut aures præbere datis. Cui frater, at iſtos
Differ, ait, flammæqve oleum inclementior addit
Et negat audiri doctrinam poſſe, ſedentumqve
Impiger auriculam nunc huic, nunc vellicat illi.
Et faciles animos germani incendere mandat.
Nec tamen humanos ſenſus & mitia magni
Cæſaris expugnant corda, aut audire volenti
Omnem animo ejiciunt curam, qvin craſtina,
victus Saxo-

Saxonis Enſiferi precibus,cum aurora rubebit
Puniceis invecta rotis recitabitur,inqvit,
Veſtra,Duces magni, nobis Confeſſio,& intrâ,
Qvæ nunc hoſpitium præbent,palatia patrum
Judicium,noſtrumqve feret pellecta favorem.
Ergò dies aderat Parcarum conditus albo
Vellere,& æterna celebrandus laude per ævum,
Qvo ſeſe è tenebris fatoqve emerſit iniqvo
Relligio,ſummis jam decantanda Dynaſtis,
Jam latum,liqvidis qvà ſe circumfluus undis
Porrigit & Phœbum ſentit,ſpargenda per orbem.
Nam poſtqvam ætherio qvinta & viceſima Olympo
Tithoni croceum linqvens Aurora cubile
Ortus extulerat,mediumqve reliqverat axem
Jam propè Phœbus eqvis,ſolium ſe rurſus in altũ
Contulit, & Procerum regni ſtipante caterva
Cæſar,apex rerum, pietate inſignis & armis,
Promiſſi memor heſterni,recitare benigno
Scripta jubet vultu claraqve exponere voce.
Hinc medium ſe infert juſſus Beierus in aulam,
Ingenio pollens & doctæ flumine lingvæ,
Principis os geniusqve ſui,multumqve modeſto
Præcipiens ſermone, loco ſi forſan in iſto
Tantarum neqveant componi momina rerum,
Concilium ſperare ſuos,tam voce ſonora
Tamqve gravi ſcriptum de Relligione libellum
Auguſtæ recitat Caroli Procerumqve coronæ,
Ut paſſim audiri loca per vicina valeret:
Atqve,Hæc unanimi,Cæſar mitiſſime,ſenſu

Noſtra docent, inqvit, ſuggeſta, hæc ora fatentur
Atqve manus, ſummi dictis confiſa Jehovæ:
Hæc nos hæreticis ſecernunt credita turbis.
Qvid namqve? Hæreticum, Cæſar Magne, eſſe
putabis
Credere, qvod Mens una Deus, qvod Numine
in uno
Tres ſint perſonæ, Pater atqve æqvæva poteſtas
Filius, & Patris Natiqve reciprocus ardor,
Terrarum cœliqve ſator, ſine corpore, nullis
Incluſus ſpatiis, nullo mutabilis ævo,
Omniſcius, ſapiens, juſtus, bonus atqve benignus?
Credere, qvod primo labes contracta parente
Poſt dulces vetita decerptos arbore fœtus,
Semine mortali genitos corruperit omnes,
Et, niſi lethiferæ contagia triſtia culpæ
Æterno genitore ſatus deleſſet, ad Orcum
Nunc qvoq; & æternas Erebi detruderet umbras,
Extorres cœlo, ſine ſpe, ſine amore fideqve?
Credere, qvod ſanctè bis ſex Galilæa virûm vis
Credidit, humanam qvod miro fœdere carnem
Filius ipſe DEI ſibi conſociarit in alvo
Virginis, inqve illa letum ſuperarit & Orcum,
Cœlum inter terramq; gemens, & merſus acerbo
Funere poſt ternos Soles remearit in auras,
Sidera celſa petens victor, Patriſqve potentem
Ad dextram reſidens, dum rauco buccina cantu
Perſtrepat & functos vocet ad prætoria manes.
Credere item, propriis qvòd nemo viribus unqvã
Aut meritis placare Deum, juſtiqve tueri

Sche-

Schema qveat, ſed ſola fides Chriſtiqve cruenta
Victima peccatum jugulent, cœloqve redonent?
Qvodqve fidem hanc Verbo caſtiſſima flamma
Jehovæ
Spiritus accendat, Sacramentisqve labantem
Fulciat, & nulli, niſi qveis audire voluptas
Vocem Evangelii, tepefacta in pectora mittat.
An fortè hæreticum eſt ſic credere, fructibꝰ absq;
Nunqvam poſſe fidem veram conſiſtere, nunqvã
Hanc ſterilem aut vacuam ſe nobis ſiſtere plantã:
Nec tamen hos fructus vitam parere atq; ſalutem
Æternumq; decus? Non, Cæſar Maxime, non eſt.
Ipſa Redemtoris ſi ſervum dicere neqvam,
Omnia qvi fecit, vox audet dicere, qvalem
Nos, Cæſar, qvi nil fecit vel pauca, decebit?
Nec magis hæreticum eſt omnes uno ore fateri,
Una qvod & ſancta eſt Eccleſia, ſparſa per orbem,
Perpetuò manſura, DEI fidiſſima verbi
Cuſtos & commiſſa ſibi ſacra ſymbola tractans
Illo ritè modo, qvo Chriſtus juſſit; & unam
Qvòd doctrina facit, non ritus, non decor unus.
Una fides namq; eſt, Baptiſma unũ, & Deus unus.
Qvòd parva infantum fluvio merſare ſalubri
Corpora, & antiqvam merſando extingvere labẽ
Ac fœdus renovare DEI ſummumqve favorem,
Sanctum opus & rigida ſervandum lege. Qvod
adſunt,
Cum celebrat ſacræ convivia myſtica menſæ
Concio, non panis tantum, ſed corpus, & hauſtus
Sangvinis, haut vini tantum. Qvod dicere in aurẽ
Priva-

Privatim peccata licet, veniamqve rogare,
Singula qvanqvam aliqvis, qvis enim ſcit ſingula? Myſtæ
Non numerare valet. Poſt diæ flumina lymphæ
Qvod lapſis reditus patet ad ſacraria templi,
Adqve illam, in ſacro qvæ regnat gratia templo,
Si vitæ revocant ſe deterióris ab uſu,
Et veteres avias tandem è pulmone revellunt.
Qvod poſcunt, promiſſa DEO ſi munera ſperes,
Sacramenta fidem, nec opus ſolum efficit illa.
Qvòd nemo populum ſacra debet jura docere
Suggeſti è ſpecula, nemo dare ſigna petenti
Myſtica, ritè prius niſi concio tota vocavit.
Qvòd ritus ſervare decet, qvos ordo reqvirit,
Et feſtos celebrare dies, ſed ſidera tale
Nullum opus aut labis veniã indultumq; meretur.
Hoc vero hæreticum Cæſar qvis Maxime dicet,
Cum leges ſervare tuas, cum juſſa jubemus,
Et ſceptra atqve Aqvilas, & qvæ, fortiſſime, dudũ
Pro trepidis geris arma focis aut dulcibus aris
Aſſerimus, pœnisqve malis & præmia juſtis
Dictamus? teſtis cum fungi munere cives
Urbe una incluſos, proprium cum qvemq; tenere,
Cum tecta & placitas emere & divendere merces,
Et caſtam ingenuo ſibi fœdere jungere nuptam,
Aut jungi alterius thalamo fas eſſe docemus?
Cumqve reverſurum poſt hæc civilia Chriſtum
Regem ad judicium, & manes è ſedibus imis
Tracturum in lucem, ſanctis æterna daturum
Gaudia, ſed reprobos miſſurum ad tartara, nullo
Cum

Cum gregre noctivago plectendos ſine fatemur?
Deniqve cum noſtris nil viribus, omnia ſancti
Numinis auxilio tribuenda docemus, in alto
Pectore ſi melior ſaliat fors ulla cupido,
Et nos juſtitiæ, extorres qvæ reddit Olympo,
Tangat amor. Qvid enim? In nobis Deus omnia ſolus
Qvæ bona cunqve facit, peccati noſtra voluntas
Et Satanæ cauſa eſt. Motũ ille, hæc turpia motûs
Ingenerat nobis deliramenta miſellis:
Qvæ nova cottidiè tamen emendare jubetur
Vita, novæ vires, operum nova cura bonorum.
Colluvies nec enim aut Epicuri de grege porci,
Cæſar Magne, ſumus, qvibus hæc prohibere voluptas,
Atqve pati, ad morem diſcincti ut vivere Nattæ
Plebs inſana qveat. Nec ſanctos ſpernimus ullos,
Aut vitâ inſignes merito fraudamus honore:
Non obtuſa adeò geſtamus pectora, Cæſar,
Nec tam averſa bono. Veterum meminiſſe piorũ
Nempe jubet Pietas; ſed ſummo æqvare Jehovæ
Nulla jubet, cultumqve Deus vetat ipſe profanũ,
Seqve coli ſolum mandat ſolumqve rogari.
Et dubitabis adhuc, qvòd dira Calumnia morſu
Nos petat, hæreticos & fœdo nominet ore
Cæſar? An hæreticum, verbis conforme Jehovæ
Ipſe qvod eſſe vides, dici patiere? Qvid? Illud
Hæreticum dici patiere, qvod ordine longo
Scripta Patrum firmant, ſanoqve Eccleſia ſenſu
Vel Romana tenet. Culpandos tollat abuſus

Hinc

Hinc aliqvis,vox ipſa DEI qvos tollere mandat,
Non alia,è ſcripto qvam nunc recitavimus iſto,
Relligio,toto qvam faſſi pectore & ore,
Religione tua eſt Cæſar, nec diſtat in ullo.
Dixerat: at Proceres moti gravitate loqventis
Obſtupuere animis, intentiqve ora tenebant.
Atqve aliqvis ſecum, Non hæc ſunt dogmata, non ſunt
Qvæ mendaciloqvis retulit mihi fama ſuſurris,
Improba,& à verâ pietate aliena fideqve:
Hæc vera,hæc dictis conformia cuncta Jehovæ.
Non aliter Petri gens Ebro nata loqvelam
Tum ſtupuit Solymis,cum ſeſe luce per auram
Lene ſuſurrantem & tecti penetrale replentem,
Omnipotens vigor ille DEI,Deus,ipſe videndū
Præbuit, & flammæ ſpecie lingvisqve biſulco
Segmine diviſis ſanctis in ſedit alumnis,
Et vires animis & lingvæ plectra, novorum
Conſcia ſermonum, momento reddidit uno,
Scurraqve muſto aliqvis plenos madidosq; Lyæo
Eſſe viros dixit, atqve ebria verba profari.
Ipſe qvoqve imperii jam non ſubtriſtis,ut antè,
Cæſar Atlas ſolio ſurgit,placidoqve libellum
Offerri vultu poſcit,ſibiqve ardua rerum
Hæc momenta refert curæ cordiqve futura,
Fridricum,antiqvi genitum de ſtirpe Palatî,
Ad reſponſa vocans.Qvæ blanda dat ille profeſſis
Sanam Principibus doctrinam & nobile pignus
Cœleſtis fidei. At librum promtiſſimus offert,
Pontano acceptum,ſecretis Schvveiſius aulæ

Cæſa-

Cæſareæ addictus: qvem Cæſar ſuſcipit,& ſe
Jam Confeſſores placatum oſtendit in omnes.
Ergò animi lætus DuxEnſifer ipſe JOHANNES,
Qvas tibi pro tanto referemus munere grates,
Cæſar, ait, qvas Magne tibi germane,Dynaſtis
Qvas vobis reliqvis,qvos noſtra audire benigno
Et placido haut piguit vultu. Qvid noſtra? benigno
Dogmata qvos vultu haut piguit audire Jehovæ.
Non opis eſt noſtræ, Cæſar: nec ſi tibi vitam
Hancqve animam pietas impendat, & omnis in unum
Sanctarum digeſtus opum partæqve per omnes
Divitiæ populos magniqve impendia mundi
Accumulent,ſatis eſſe qveant.Deꝰ ipſe rependat,
Et facilem porrò te regni flectere habenas
Induperatorem faciat. Laus illa potenti
Propria ſit Carolo non qvà jubet alta poteſtas
Ire,ſed armatas multum ſibi demere vires,
Dignariqve manus humiles & verba precantum,
Et ferrum mulcere toga. Sic itur in alta
Pectora, ſic mixto reverentia fidit amori.
Dixerat.At lectus terras liber exit in omnes,
Perqve virûm victor volat ora,nec urbe teneri
Una ſe patitur, vel Saxoniæ angulo in uno;
Sed modò Gallorum, modò Cimbrorum arva, tuasqve
Itala terra domos, & regna peragrat Ibera,
Boiemos modò verſus adit gentemq; Boruſſam,
Et longè noſtro ſemotos orbe Britannos,
Heſpe-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Heſperiis pariter populis & notus Eois
Nullius ora verens,non infeſtatus ab ullo.
Jamq; adeò in ſacri laſſus maris atq; viarum
Imperii includi ſe paſſus ſcrinia & orbem
Miratus totum ſe pervolitaſſe qvieſcit,
Luce bona lætus nimium,qvâ rumpere primum
Auguſtâ licuit diuturna ſilentia in Aula,
Atqve Auguſtana ſortiri nomen ab urbe.
Salve ergò miſeris cœleſti munere terris
Reddita Lux,albo ſalve ſignanda lapillo,
Et memoranda diu geniumqve habitura perennem!
Non par ulla tibi,Deus ex qvo virgine natus
Induit humanos artus,&,ſangvine fuſo
Leniit iratum patrem,mundiq; per omnes
Sparſit opus latebras,cœlo ſeſe extulit alto:
Nec melior tenebris ſeſe efferet ulla fugatis,
Ignea dum terras luſtrabunt ſidera, dum Sol
Manè diem promet rurſusq; ſub æqvore condet.
Per te Relligio merſum caput extulit umbris
Pontificum corrupta dolis intextaq; vanis
Commentis hominum, priſcâ & ſe luce videndã
Præbuit oppreſſis miſerâ caligine terris.
Per te ſincero veneramur Numina cultu,
Nec ligna & variis ſimulachra efficta figuris
Credimus eſſe Deos. Convivia Myſtica per te,
Panem atq; aurati calicis ſacra pignora, ut olim
Integra jam accipimus, nec ludo agitamur inani
Miſſificûm, qvæſtus tantum nummosq; petentũ.
Per te perq; tuum peccata incognita lumen
No-

Novimus in penitis nobis hærere medullis
Plurima, nec qvenqvam numero comprendere certo
Poſſe ea, vel labem numerando abolere profundã,
Unius, ut fas eſt, abolendam ſangvine Chriſti:
Multa tuo mutant, qvæ Papa invexerat, ortu,
Atq; alio incipiunt ſe nobis ſiſtere vultu.
Tu vetitos ignes & furtivos Hymenæos
Damnas, & Monachos, tædas exoſa jugales
Monſtra, domas, verbiq; doces ſua colla miniſtros
Subdere poſſe jugo. Raſæ tu vota cohortis
Impia, & in ſanctas divini injuria leges
Codicis oſtendis; nec ſi qvis veſcitur eſcâ,
Qvam Deus & melior nobis natura creavit,
Eſſe ſcelus monſtras, certisqve indicta diebus
Neminem in æthereas jejunia tollere menſas.
Tu gladium & claves longè diſtincta, nec uni
Eſſe homini commiſſa doces, cui paſcere verbo
Commiſſum ſibi ritè gregem, non arma vibrare,
Arbiter ipſe Deus mandavit, & inter utrumqve
Servanda haud dubiis ponis diſcrimina ſignis.
Singula tu nobis, olim corrupta vetuſtas
Qvæ dabat, inſtauras, & qvæ credenda libello
Haud magno explanas, qvæq; evitanda viciſſim:
Illa prius cretâ, mox hæc carbone veruqve
Abjicienda notans, aut emendata reponens.
Salve ergô atq; iterum lux optatiſſima ſalve,
Et melior noſtras meliorq; revertere in oras
Semper inocciduo colluſtrans lumine mentes,
Et longè horrificas tenebras longeqve repellens,
Qvas

Qvas meretrix nobis Romana offundere geſtit
Sancto infenſa libro, dum mundi hæc mole ſoluta
Feſſos æternæ nos ſiſtas ultima luci:
Atqve eadē angelico coràm grege & agmine caſto
Credentum facias hilares hæc ore fateri.
Vosqve adeò ô ſancti manes ſalvete JOHANNIS,
Et tanti memores, cœli inter ſumma, diei,
Gaudia, devotos vobis agnoſcite cultus,
Et grates capite, hæc qvas promere pectora, qvasqve
Et qvales qvantasqve poteſt hæc lingva referre
Immenſis meritis. Vobis, dum candida mundum
Illa colet Pietas, dumqve inſtaurata vigebit
Relligio in terris, tam pulchri conſcia facti
Gloria perpetuas laurus, magnisqve triumphis
Æmula geſtarum decernet præmia rerum,
Teqve, invicte, canet, Princeps, qvà fervidus orbē
Sol videt, & terras Nereus circumfluit omnes
Heroas alios ſuprà celſosqve Dynaſtas,
Qvos unqvā æthereas Conſtantia ſurgere in auras
Juſſit, & angelica porrectum ſumere dextra
Immortale merum. Tu cum Romana veneno
Omnia miſceret Circe, menteſqve potentum
Imperii Procerum, Dea ſæva nocentibus herbis,
Alliceret, Latias vitaſti providus artes,
Et ſocios, qvos una fides, mens junxerat una,
Servaſti incolumes tecum ringentibus undis,
Fortior Æolide, cujus vitare Charybdim
Vix ſocii potuêre, & fœdæ pellicis aſtus:

For-

Fortior & reliqvis,qvos bello vivida virtus,
Invictumqve animi robur contemnere in hoſte
Sparſas ore minas Heroas juſſit & arma.
Tu,cum mœſta odiis hominum flagrabat & ira
Relligio,anguſtis latitans in finibus oræ
Saxonicæ primum,reliqvis invisa tyrannis,
Nil veritus Papæ inſidias,nil fulmina,in orbis
Ire plagas omnes juſſiſti, & cedere nulli,
Infragilis,conſtans,mutari neſcius,omnes
Fortunæ ad caſus,dura omnia,ritè paratus,
Nec prece,nec pretiô, nec vi ullâ mobilis aut re:
Haud ſecus ac rupes, magnô veniente fragore
Qvæ ſeſe ingenti, circum latrantibus undis,
Mole tenet,ſcopuli nec qvicqvam & ſpumea circũ
Saxa fremunt lateriq; illiſa refunditur alga.
Salve ergò & tantô cape præmia digna labore,
Saxonicæ æternum decus aulæ,& gentis avitæ
Wittekindorum non infitianda propago,
Angelicos inter proceres,menteſq; beatas,
Cœlica qvæ Chriſti confeſſæ dogmata pulchras
Exſuperant candore nives, cœliqve ſerena
Parte Dei aſpectu nunc & ſplendore fruuntur.
Tecũ hic Mauritius, Genio qvi pulpita& omnem
Hanc impletSophiam,tecum tua magna voluptas
Filius & reliqvi,qvorum reparata labore eſt
Relligio,aut lætis ſeſe extulit incrementis,
Saxoniæ, ſuperæ donati ſedibus aulæ,
Exultent Proceres,& qvas meruere fatendo
Nunqvam marcentes amaranthi ex flore coronas
Oſtentent,lauroqve tuo, invictiſſime, jungant,

Noſti, præſenti ſemper ſemperq́ve benigno
Hæc tecta, has aras, hæc pulpita numine firma
Inſidias Satanæ contra fraudesq́ve nefandas
Gentis Eſaviticæ, vel ſi qvi forſitan imo
Hæc tecta, has aras, hæc pulpita ſubruta fundo
In chaos antiqvum verti flammaq́ve cremari
Plures exoptant. Da conſilia irrita cuncta,
Irrita cuncta cadant, atq; hæc tibi noſtra qvotañis
Vota ferat pietas deq́ve imo pectore grates,
Usq; Johannæi bidui memor, usqve Johannis,
Usq; tui, primo qvi par virtute Johanni,
Qviq́; Johannem alii primum virtute ſeqvuntur
Mauritio, Auguſto qvi par, reliqvisq́; Dynaſtis,
Usq; tui, SAXO, JANI memor usq; GEORGI
Et patris & nati & teneri memor usqve nepotis,
Qviq́; hos excipient memor usq; atq; usq; nepotum.

INVITATIO
ad
Celebrationem
BIDUI JOHANNEI.

HActenus in Logica ſudavi gymnade, & arte,
Magne Philippe, tuam Studioſæ pandere genti,
Qvam prior illa ætas omnis ſuſpexit, & omnis
Poſtera ſuſpiciet veteri caligine pulſâ,
Anniſus, docui, qvâ rectè atq; ordine cuncta
Perſpicuéve qveas ratione addiſcere: qvales
Naturis rerum deceat præſcribere fines,

Qvàm cautè à reliqvis diſtinguere: qvanta feroces
Convincendi animos vis inſit, ſi duo primum
Verbis juncta tribus ponas effata, duobus
Dein ex his poſitis qvæſitum inferre labores:
Qvàm pulchrum intortos vafrorum incidere nodos,
Et ſerpentigenam falſæ Rationis abortum
Perplexumq; ſophos fatui ſapientis apertis
Extricare modis, juſtaq; expendere lance.
Nunc poſtqvam exuto mortali corpore cœlum
Rivinus petiit, Philuræ non parva relictæ
Gloria, & hæc clauſis ſitiunt prata arida rivis,
SAXO Pater partes poſthac implere Poetæ
Me jubet, & vatum pubi expoſuiſſe labores,
Judicio indulgens veſtro, Sophici ordo Senatus:
Dicereq;, in numeros qvî cogere verba modosq;
Debeat, & facili componere carmina verſu,
Qvî veterũ monumenta ſuos convertere in uſus,
Et ſimul hinc jucunda & idonea diſcere vitæ.
Magnum opus atq; humeris vix imbecillibus iſtis
Portandum, Muſæ. Neq; enim ſermone pedeſtri
Repere qvi per humum & ſtipulâ diſperdere carmen,
Qvale ego, vel denſa Damœtas ludit in umbra,
Qvomodocunq; poteſt, partes explere Poetæ
Illicò ritè poteſt vacuamq; ornare cathedram.
Nec mihi vatem illum qvisqvã, qvi ludere verbis,
Et caveæ riſum captare urbanus, & acres
Exercere ſales novit, laudaverit, aut qvi,
Vulgus ut hunc ſvevit plerumq; vocare Poetam,

Æris

Æris inops menſas lautorum & præmia molli
Carmine ſectatus laudum præconia vendit,
Atq; orbes patitur ſibi frangi in vertice & ollas.
Non argutator, non cerdo, aut ſcurra Poeta eſt,
O bone, nec turpi ſe cuiqvam venditat ore.
Major honos artis, major dignatio: Vatum
Qvando Deus numeris ſua claudere dogmata, qvando
Ardua complecti voluit myſteria verſu
Ipſe, & divinas animare in carmina mentes,
Amramidem ante alios cœleſti Numine plenum,
Iſaidemqve, lyræ qui jungere vincta ſolebat
Verba pede, & modulis ſenſus adſtringere certis:
Quando, qui primos artem excoluere per annos,
Non dare bullatas voluere in carmine nugas
Ludereqve, aut ſalſis alios perſtringere dictis;
Sed vitæ monſtrare viam, ſed publica privis
Cernere, & excultas circumdare mœnibus urbes,
Et Venerem prohibere vagam, lignoqve vel ærii
Frenandis animis poſitas incidere leges:
Vel latebras, Natura, tuas altoſqve receſſus
Pandere, & artifices rudibus depingere vultus.
Vel canere arma virûm, & totâ deducere Trojâ
Fortem Anchiſiaden, Latiisqve reponere in arvis.
Acre cui ingenium, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, nec publica vena, ſed ipſo
Fonte Meduſæo torrentior: ardua tantum
Qui ſapit, & celſo ſe librat in aſtra volatu
Cum Jove, & æthereos infra ſe deſpicit orbes,

Nullius ignarus, ſtudio verſatus in omni,
Et vatum callens monumenta antiqua bonorum
Tanquam ungves digitosq́ue ſuos: Hunc eſſe Poë-
tam
Dixeris, hunc vatis titulum nomenq́; mereri,
Non me, non alium, quem vix ſemel atq; iterum
imo
Pectore anhelantem Parnaſſi in vertice vidit
Phœbus, & à Lauri diſcedere germine juſſit
Longè, aut plectendos olim ſperare corymbos:
Vel labor, & duris urgens in rebus egeſtas
Ad curas alias, aliosq́; adduxit ad æſtus.
Quanquam ea quid triſti nequicqnam ſpectore
volvo,
Veſtraq́;, Lipſiaci clariſſima lumina Pindi,
Turpiter oblitus ſuffragia, vela retrorſum
Nunc dare, & admotas remis, invectus in altum,
Subtraxiſſe manus conor, quando aura ſecundos
Ventos, & faciles promittunt omnia curſus,
Nec tua me, ter ſancte Deus, magniq́; Dynaſtæ
Gratia deſtituit, veſterq́; ex ordine plauſus.
Nil deſperandum Chriſto duce & auſpice, Teq́;,
SAXO Pater, lentæ Zephyrum aſpirante carinæ;
Nec ſi felices juvenes tetigére Pelasgi
Portûs, auricomam conati avertere pellem,
Infelix Teucer, veterem Salamina patremq́;
Cum fugeret, fatis promiſſam intravit in oram:
Aut ſi Mœonius primas ſibi poſcit Homerus
Egregios vates inter, laus nulla Camœnas
Steſichori & Cææ comitatur carmina Muſæ,

Aut leviora illis multò, multoq; minora.
Ergò opus aggredior, tibique ô delecta juventus,
Spes patriæ atq; decus, cœleſti adjutus ab aura
Phœmonoæ ad fontes facilem reſerataq; vatum
Oſtia ſigno viam, & libro quod Horatius arcto,
Quantus at ille lyrâ, quàm' ſcitus in arte Magi-
ſter ?
Piſones docuit functus vice cotis amicos,
Unde parentur opes, quid alat, formetq; Poë-
tam,
Quid deceat, quid non, quò virtus, quo ferat er-
ror,
Quando hæc noſtrorum fuerit pars prima labo-
rum,
Icarius ſimul ac canis urere deſiit arva,
Atq; ſuus Muſis rediit labor, ordine monſtro.
Ante tamen Pietas, & lux hodierna Johanni
Sacra, ac fatidico genitoris carmine fulgens,
Quæq; illam ſequitur quinta & viceſima mentem
Vellit, & Auguſtam quid geſtum ritè per urbem
Centum & viginti hos ante & ſex inſuper annos,
Inq; DEI inq; tuas, domus ô celſiſſima, laudes,
Saxoniæ, tenui deſcribere carminis orſu
Imperat, & magni, quoniam non ire per omnem
Heroa aut primis deducere tempora faſtis
Fas mihi, vel Biduum verſu celebrare JOHAN-
NIS
Nunc jubet, & gratæ teſtari mentis honorem,
Digna cani, & longè, quàm ſi quis carmine ficto
Mulceat, & veterum narret deliria vatum,

Judicium Paridis, pugnataq; bella Gigantum,
Materies melior. Neq; enim nunc antra movere
Delia, vel ſtreperis temerare exordia nugis
Mens animi eſt: major rerum mihi naſcitur ordo.
Prima DEO noſtræ debentur carmina Muſæ,
Cujus Relligio, Latias exoſa tenebras,
Numine in æthereas merſum caput extulit auras:
Altera Saxonicæ domui, quâ ſoſpite ſoſpes
Floruit & longum ſoſpes florebit in ævum
Numine conſervata DEI: ſunt tertia PATRUM,
Eſſe ſuum nuper qui me voluere Poetam.
Quod reliquum eſt operæ, vatum monumenta priorum
Excutiet, Juvenes, & veſtro ſerviet uſu.
Ergò Lipſiaci qui Ludi flectis habenas,
Et doctæ ſtudium ſolus regis omne Themiſtos,
Subtrahe te tantis paulisper ſubtrahe curis,
Et facilem noſtræ, SCHVVENDENDORFERE, Camœnæ
Aurem adverte precor, quaq; es pietate, dierum
Iſta duûm placidâ mecum, oro, mente revolve
Geſta, & Conſtantem factis mirare JOHANNEM;
Cras ubi puniceos Aurora retexerit ortus,
Et Sol octavam ſcandendo oſtenderit umbram.
Parva mora eſt, Themidiq; tuæ rebusq; gerendis
Reddére, unius cum vix effluxerit horæ
Semis, & antiquos iterum moderabere curſus.
Tuq; adeò illuſtri RUTHENE è ſtemmate nate,
Et vos ô noſtri Proceres ac fulcra Lycei,
Vos ſtudio magnis doctoribus æmula pubes,

Seu

Seu vos Euſebie,ſeu vos Themis alma, medendi
Seu tenet artis opus, Sophie ſeu vendicat ipſa,
Si vacat, & curis aliquid fas demere tantis,
Huc agite, & promtas afferte in carmina vires,
Et mecum æterno pro Religione Parenti,
Pro Patriæ Patre, pro Sobole illuſtriſſima, & omni
Saxoniæ libate domo. Sic candida vobis
Iſta dies redeat ſemper, ſemperq; recenti
Pectora lætitia cumulet, menteſq; Nepotum
Majorum ſimiles eadem Confeſſio firmet.

CARMEN SECULARE,

Quo memoria diei, quâ Lutherus VViteberga ad valvas templi Theſes primùm affixerat, recolebatur.

Prid. Kal. Nov. Anno M DC LXVII.

TErtia, quam mundo felici ſidere ſecla
Dimidiata ferunt, & adhuc florentibꝰ annis,
Salve ter nobis, Lux auguſtiſſima, ſalve,
Et læto auſpicio genti reditura minorum,
Vix reditura viris, curſus ordire ſecundos.
Maxima te primùm diluceſcente peracta
Res eſt, & noſtras prava Indulgentia terras
Deſeruit, Stygioqve iterum ſe condidit Orco.
Tu primos ictus cunctum memorandâ per ævum
Vidiſti, & primam, Lux ô fauſtiſſima, ſtragem

Heroâ inflictam dextrâ gladioque Lutheri.
Non ſic Cannenſis memores horreſcere cladis
Conſverunt Solem, qvatuor qvi Solibus Idûs
Seu Nonas aliis præit totidemqve Kalendas.
Non, has qvi ſeqvitur, ſic pertimuere Qvirites
Ob Senonum furias: ut te tremit aula Draconis
Heſperii Stygiiqve ſimul, qvæ proxima menſis
Præcedis primum, finito Octobre, Novembris.
Tecum unà extorres rediere ad limina Divæ,
Vix tum nota ſibi, & multos deſerta per annos,
Et Pietas, & cana Fides, & cætera Cœlo
Concio, nil metuens, veſtro revocata labore,
Et clypeo ſecura ultrà, GENS SAXONA,
veſtro.
Ipſa tibi illarum formâ pulcherrima, & omni
Vel fuco vel ſorde carens, ſe adſternit, Olympo
FRIDRICI auſpiciis hoc terris reddita noſtris
Relligio purgata die, Tibi, JANE GEORGI.
Inqve tuo dum vultu omnes miratur Avorum
Virtutes Patrisqve & pro nutantibus aris,
Pro ſociisqve fidem, Salve, ter Maxime, ſalve,
Et lætus ſoſpesqve, inqvit, mihi vivito, Princeps,
Æqva tibi proavisqve tuis, ſed maxima utrisqve
Grata accepta fero. Illorum me reddidit ardor,
Conſervat tuus, atqve pari virtute tuetur.
Nec minor ad ſeros te gloria, Magne, manebit,
Qvàm manet ingentem FRIDRICUM ſumma,
nepotes.
Delapſa ille polo, nec terris cognita noſtris
Antea, mitis amicâ ancilia ſede recepit,

Ne ĭvicqvam Auſonio multum ringente Tyrano,
Et gratos habitare dedit tutosq́ve penates.
Tu Latias contra fraudes fortiſſimus, & vim
Atqve minas ſecura ſoves atqve otia præſtas,
Antiqvumq́; chaos prohibes tenebrasq́ve priores;
Qveis miſeros qvondam nil concedentibus umbris
Cimmeriis, nil terra, tuis, Mareotica, Papæ,
Secla tot involvit nulli toleranda poteſtas.
Qvas lamias, qvæ monſtra animæ, qvàm ſæva miſellæ
Expertæ juga? qvos laqveos rigidasq́ve cataſtas?
Somnia pro verbo, pro vero Numine Sanctos,
Pro ſola Bona facta fide, ſuffecerat Orco
Nata ſuperſtitio & raſorum inſana lubido.
Jamq́ve à Jeſſææ partu ter qvinqve puellæ
Flammivomis invectus eqvis curruq́ve coruſco
Secula Acerſecomes totidemq́ve exegerat annos
Addideratq́ve duos. Jam ſede è principe, dudùm
Inſano Auſonius cuncta externare rugitu
Cœperat, atqve graves Leo pectore volvere curas.
Jam regno nova fulcra ſuo ſediq́ve labanti
Qværebat: cum Gorgoneis armata venenis
Immodicum argenti furiarum maxima amorem
Inſpirat lucriq́ve ſitim: mangonibus eſſe
Hîc opus emiſſis, pretio qvi crimina tollant
Nempe dato, & bardos emungant Teutonas auro,
Nec mora, ſangvineos oculos Cocytia ponit
Tartareasq́ve faces, angvesq́ve exuta tremendos,
Intortasq́ve comas monachum mentitur obeſum,

Omnia Tezelio ſimilis vocemqve coloremqve,
Et raſum caput, & baccatum ex more monile
E manibus pendens, & nigram deſuper albæ
Injectam tunicæ pallam turpemqve cucullum,
Qvalem illum obſcuro viſendum in parjete ſiſtunt
Tharſenſi ſacra Præconi delubra, locumqve
Occupat extremum ſcabies. Jamqve ocyor Euro
Oenotriam & celſas curſu tranſcenderat Alpes.
Tum Svevi ceſſere deæ, ceſſere Bohemi,
Atqve Palatini tractus & Rauraca tellus,
Et qvicqvid Rhenus, qvicqvid ſeptemplice claudit
Iſter aqvâ, ceſſit. Jam Myſos peſtis in agros
Serpſerat haut occulta, & Saxoniæ arva beatæ,
Et miſerûm mentes pariter nummosqve vorabat
Inſatiata hominum. Triſtem cum maximus hydrã
Exili Alcides calamo proſternit & omni
Lavinæ fraudes meretricis detegit orbi,
Pertæſumqvè diu & dura ſub mole gementem
Liberat, inviſumqvè genus ſub Tartara mittit:
Hinc rediit mihi priſcus honos; omnesq; per oras
Saxoniæ caſtis fumant mihi thuribus aræ,
Succenſæ auſpiciis veſtris, ô maxima cœli
Gloria terrarumqvè decus. Tu prime remittis
Fulgentem rutilo florem, FRIDERICE, metallo:
Tu cunctis me, JANE, bonis regnoqvè paratus,
Tu vitâ mutare ipsâ par, NATE JOHANNIS,
Et Patri & Patruo; nec te gravis ira Monarchæ
Flectere, nec carcer poterat. Me munera magni
MAURITII, ac virtus AUGUSTI auguſtæ beavit;

Me

Me CHRISTJANORUM pietas, JANIqve GEORGI
Arma omni vacuam dederunt diſcrimine. Cunctas
Sub veſtro licuit, cœlo digniſſima, ſcuto,
Numina, deriſiſſe minas: ſeu fulmina miſit,
Sylveſtres ſeu Papa logos, ſeu Hogoſtratus atro
Protruſit madidas tabo, Cajetavè chartas,
Seu qvicunq; alius. Nec qvenqvam porrò timebo
Saxoniæ pupilla tuæ, DUX SUMME, priorum
Virtutes transgreſſe animo & præluſtria facta,
Sis bonus ô felixqve tuæ. Neu ſperne perenni
Arſuram gratæ tibi tempore mentis acerram.
Sic ait, & grato meditatur pangere laudes
Factaqve magna ducum, nec vili carmine ſeros
Poſtera perpetuum manſura in ſecla nepotes.

ACADEMIA LUGENS
Deſideratiſſimum Patriæ Patrem
JOHANNEM GEORGIUM I.
Electorem.

* * *

DIS. MANIBUS. SACR.
MAXIMO. OPTIMOQ. PRINCIPI.
ATQVE. ELECTORI.
PIIſSIMO. AC. FORTIſSIMO.
FUNDATORI. PACIS.
AC. PUBLICÆ.
LIBERTATIS. AUCTORI.
FELICIſSIMO.

HE-

HEROI. INCOMPARABILI.
JOHANNI. GEORGIO.
PRIMO.
CHRISTIANI. SAP. F. AUGUSTI. JUSTI.
N. HENRICI. PII. PRON. REGIA.
VVITEKINDI. PROSAPIA.
ORIUNDO.
PATRI. PATRIÆ. VENERANDISIMO.
RELIGIONIS.ET.FIDEI.PROPAGATORI.
AC. PROPUGNATORI. SUMMO.
JUSTITIÆ. ÆQVITATISQ. RECTORI.
FUGIENTIUM. LITERARUM. STATORI.
AC. CONSERVATORI.
M. M.
DOMINO. INDULGENTISIMO.
QVUM.
FORTITUDINE. CONSTANTIA. MUNIFICENTIA. CLEMENTIA. NUMEROSAQ.
AC. SIMILIMA. SUI.SUBOLE. OMNES.
OMNIUM. ANTE. SE.
GLORIAS. SUPERGRESUS.
REBUSQ.
B. B. ARMIS. CONSULTISQ. GESTIS.
EXUTA. MORTALITATE.
ÆVUM. INCHOASET.
SATUR. VITA.SATUR.HONORE.SATUR.
AFLUENTIA.

OB

OB.
INFATIGABILEM. ERGA. SE.
PIETATEM. INLUSTRIA. MERITA.
ET ABUNDANTISIMAS LIBE-
RALITATES.
INPRIMIS.
QVOD. EARUM. PRIVILEGIA. NON.
CUSTODIERIT. MODO. SED. ET.
AMPLIAVERIT.
ET.
PROFLIGATO. BELLO. TRICENNALI.
ADMINISTRATIONE. AC. PROVIDEN-
TIA. SUA. PINGVE, OTIUM. ET.
ARBITRIUM. SUI.
TEMPORIS.
ET. IMPERTURBATAM. POBL. OCCU-
PATIONIBUS. QVIETEM. PEPE-
RERIT.
QVO. PRIMUM. INLUSTRES. EXUVIÆ.
DRESDÆ. EXPORTABANTUR.
DIE.
MEMORIÆ. ET. GRATITUDINIS. TE-
STANDÆ. CAUSA.
LUGENTES. CONSECRANTESQ.
PONEBANT. MUSÆ. LIPSIENSES.
A. E. C. cIↃ. IↃc. LIIIX.
ELOGIUM. ADDERE. ULTRA. NON. AUDEBANT.
PULCHERRIMUM. ENIM.
DECEDENTIS. PRINCIPIS.

JAM. EXTABAT.
SUCCESSOR. BONUS.
Q. E. B. Q. C.

HActenus incluſus latet, & cor ſtrangulat intus
Imenſus Patriæ dolor, & ſe continet ultrò
Privatos intrà magis anguſtosq; penates,
Objectu vires atqve incrementa capeſſens.
Nunc longè lateqve patet, ſeſeqve per oras
Omnes & tractus rupto velut aggere fundit.
Namqve ut mœſta domus, domini qvæ funera deflet
Accelerata ſui, dum nondum triſte feretrum,
Nondum ferales cernit procedere pompas,
Et corpus medio, qvamvis exſangve rigensqve,
Continet in tecto, nec adhuc ſe credula ſentit
Orbatam penitus, tantum intrà limina plangit,
Et charo interdum ſolatur pignore damnum.
At cum præco fores pultat, populumq; decentes
Exeqvias functo ire jubet, jamq; æthere caſſum
Effertur patrio tumulandum marmore corpus,
Integrat luctum & totas effundit habenas,
Publicaqve inſano conturbat compita planctu.
Sic poſtquam (ſi magna licet componere parvis,
Et regno conferre domum, ſceptroq; ligones)
Principis exuvias, auguſta in ſede locatas
Paulò antè, efferri cernit, dominumq; potentem
Antiquas migrare domos, atqve alta regentum
Limina Saxoniæ, flet triſtis, & omnia acerbo
Dilaniata comas & ſordida pulvere multo
Patria permiſcet planctu, nec frena dolori

Ulla

Illa ferox poni patitur legemvè qverendi,
Funeſtam accuſans lucem & crudelia fata.
Parva loqvor, non hæc miſeros qverimonia cives
Exercet tantum & defectam Principe plebem:
Infeſtat capita imperii & lugere Monarchas
Irreqvieta facit, contriſtatosqve Dynaſtas.
Jamqve tholis ſeſe Aula ſuis effundit, & Urbis
Primum templa petit conclamatura ſupremum,
Et dictura vale: tum Mœnia deſerit, & ſe
Sarcophago avelli nusqvam ſinit anxia eqvisqve.
It vidua, & lachrymis irrorat lumina obortis,
Altius hoc imo divortia pectore condens,
Qvò magis exactos thalami reminiſcitur annos,
Et caſti flammas ſecum perpendit amoris
Immotamqve fidem: cui Natarum inclitus ordo
Aggemit, & longa ſerie deducta propago,
Os habitumqve Aviæ ſimilis flendiqve laborem.
Ante alios Nati pullo velantur amictu
Et Nati Natorum, ac celſa ſede relicta
Priſcorum qvà fert ad Mauſoléa parentum
Orbita, & Heroum monſtrat non longa favillas,
Attoniti à tergo funus regale ſeqvuntur,
Et verſos faſces & avitæ inſignia gentis,
Saxoniæ Proceres, tundentes pectora palmis;
Et qvem ſincero complexi ſemper amore,
Arbitrio cujus ſoliti ſe credere toti,
Qvem ſoliti magni revereri Numinis inſtar
Cum deſiderio patrem gemituqve reqvirunt.
Qvorum humili obſeqvio veſtigia & ordine denſo

Nobi-

Nobilium cœtus ignobiliumq; freqventant,
Incertum, doleant obitûs magis, an pia fratrum
Pectora, conſorti fatum hoc lugentia ſenſu,
Suſpiciant, poniq; modum mœrentibus optent.
Iſacidæ videas ſobolem, mœſtiſſima fruſtrà
Pectora, famoſi regnis exire Canopi,
Atq; inter turmas equitum ſtrepitusq; rotarum,
Ingenti procerum terræ ſtipante caterva,
Tendere frugiferæ Canaæ felicia rura,
Atq; ibi in Hebronis, tumulis celebrata priorum,
Arva ſenem, & Patrium grandævum inferre ſepulchrum.
At mihi nec Patriæ gemitûs, nec triſtia mens eſt
Saxoniæ lamenta domus, ductasqve Marito
Et Patri exeqvias memorare, & grandia parvis
Attenuare modis, nec Te, aut tua facta, cothurno
Digna, Heros, vili temerabo carminis orſu,
Majoris res illa lyræ, nec viribus iſtis
Par onus hoc: tanto debetur Homerus Achilli,
Contingetqve brevi, nec me ſententia fallit,
Cùm tua Te binos poſt Soles ceperit urnâ.
Qvod canimus noſtrum eſt, intraq; hæc mœnia clauſum,
Pulpitaq; & qvicqvid Philuræus ſervat Apollo,
Triſte malû & Muſis damnû irreparabile noſtris.
Te tamen hæc pietas tanget, te Auguſte, tuorum,
Et non ingrato tollet præconia verſu,
Clarius hoc, qvò nos major jactura fatigat,
Cumq; tua noſtras contendet luce tenebras,
Ac miſeros nos eſſe canet, Te, ô Magne, beatum.

Vos qvorum lacrymas & ſingultantia verba
Dicere fert animus, ſeu Vos Academia, ſeu Vos
Urbs rebus præeſſe, atqve iſthoc ſaucia faſces
Vulnere nunc poſuiſſe jubet, parq́ue impetus omnes,
Par agit huc pietas, tuq́; ô delecta juventus,
Spes patriæ una tuæ comiti ſocioq́ve doloris
Sufficite, oro, malas funeſta in carmina vires,
Atqve alios longè nunc aſpirate canenti,
Qvàm mea, qvam ſenſere aliorum carbaſa flatus;
Nil blandum, nil dulce rogo: conſumſimus iſta,
Annua cum noſter repararet gaudia verſus,
Et vivo Heroi meritos libaret honores.
Nec me antiqua juvant; denſa quod Phœbus in umbra,
Qvod Clio & reliqvæ vatem docuere ſorores,
Dedidici, fugêre meos Parnaſſia crines
Vellera & infelix funeſtat tempora taxus,
Solaqve ad incultos invitat Præfica leſſus.
Actum erat, & jam mœſta citis invecta qvadrigis,
Illuſtres obitus toto vulgaverat orbe
Enceladi Cæiq́ve ſoror, luctusq́ve ciere
Juſſerat, & triſtes foribus præfigere frondes:
Plangebant jam cuncta Ducem, feſtumq́; colorem
Atro mutabant pavefactæ civibus Urbes,
Longaqve pro viridi ſordebant pepla corolla,
Et muta ex altis pendebant organa tignis:
Cùm ſe reſpiciens turbato Academia vultu
Ablatumq́ve decus cernens priſcumq́; nitorem,
Ungve ſecare genas, & deformare comantem

Pulvere

Pulvere cæſariem, ſeſeq; involvere panno
Viſa, atqve hos imo de pectore rumpere qveſtûs:
Illa ego, qvæ luctu jamdudum dicta carere
Pullatos cives inter gentemqve togatam,
Sidoniam picto trabeam circumdata limbo
Nil triſte oſtendi, nil lamentabile, functis
Exeqvias ductura, foris, preſſiqve dolorem:
Nunc poſtqvam attonitas feralis nuncius aures
Perculit, & majus ſævit in pectore vulnus,
Qvàm ſubito vultus alios exterrita ſumſi,
Sqvalida, & horrendis tota infuſcata tenebris,
Diſſimilisqve mei! Qvid enim nigrantibus aris
Addita crux, albo media intertexta colore,
Qvid ſuggeſta atri fuligine conſita panni,
Et ſceptra appenſa liventia ſindone, longæ
Qvid voluêre togæ, capitiq; innexa docentum
Tænia, qvid Muſis indicta ſilentia & arti
Flebile juſtitium, cantu qvæ pectora mulcet
Lætiſonisqve modis, curarum dulce levamen?
Scilicet ingentes caſus & qverqvera nobis
Fata ac luctificam teſtantur ſingula noctem.
Nam velut igniferũ cum Sol rapidiſſimus orbem
Condidit, adverſoq; impertit lumina mundo,
Horrida continuo tenebris cœlumqve ſolumqve
Et mare velivolum involvit Nox, omnia triſtis
Torpor habet, tacitoqve metu paſſim omnia
muſſant.
Mœret ager, mœrent urbes, ſylvæqve virentes,
Nec liqvido volucres exercent aëra cantu,
Et pecudũ genus omne tacet, genus omne ferarũ,
Mœ-

Mœſtaqve agit totus ſine luce ſilentia mundus ;
Haut ſecus erepto tam charo Principe nobis
Tam facili in furvam ſubitò verſa omnia noctem.
Stant circum Aoniæ matrem & nil dulce ſonãtes
Nec digitis,nec voce deæ ; dux ipſe ſilenti
Acclinis cytharæ caput imo pectore Phœbus
Ingemit : Iſmarium qvalis poſt Orphea raptum
Aſtitit Hebre tibi, lacrymis jam flumina cernens
Increviſſe ſuis,obſcuraqve carbaſa pullo
Najadas & Dryadas paſſosqve habuiſſe capillos.
Differimur planctu : nec me velut ante ſonoris
Indulgere juvat facilemqve advertere mentem
Cantibus, aut hilares juvenum auſcultare ſuſurros
Concinnosqve modos : juvat illaudabile carmen
Fundere, & extremum verbis vulgare dolorem,
Qvi nunc me coqvit, & verſat ſub pectore fixus,
Confectamq; metu prius atq; hæc fata timentem
Emaciat penitus. Non ſic gens ipſa Qvirini
Externata fuit, dum tu,Germanice, morti
Vicinus charam compleſti fletibus urbem,
Spe vana erectam ſemel & jam ſacra parantem,
Proqve inſtaurata gratantia verba ſalute,
Donaqve certatim Capitolia ad alta ferentem.
Nec gravior cives invaſit mœror, ad aures
Poſtqvam jam certus de tanto funere venit
Nuncius,& vicos volitavit fama per omnes :
Nullis ille minis, nullâ expugnabilis arte
Edictisvè Patrum, feſto opplorante Decembri.
Et mihi, natales qvoties celebrare valentis,
Aut nomen meminiſſe datum, plauſuq; recenti

Red-

Reddere vota DEO, Pyliiqve optare ſenectam
Neſtoris, & ſalvam Philuren, ſalva omnia templis
Clamare, extremis ſaliebant pectora fibris:
Qvæ ſubito jam oppreſſa metu tota horrida
langvent.
Lugeò, ſeu miti viduatas Principe terras,
Seu fulcro imperium, teqve exanimata patrono
Orbam Relligio intueor vaſtosqve penates;
Seu ſacris illata meis ingentia cerno
Damna, atqve infandam regali funere cladem,
Munificas experta manus dominumq; benignum.
Triſtior hoc, noſtras pietas qvò major in artes
Pulpitaqve hæc vivo fuit & flagrantior ardor,
Servandæqve mei nulli æqviparanda Voluntas.
Nam qvis ſollicitas, toto Mars impius orbe
Cùm fureret, ſimili Muſas complexus amore
Fovit, & extorres tutâ ſtatione locavit?
Qvis, cum compoſitis coleret Germania bellis,
Fœdera, & iratum Janum pax alta ligaret,
Largiùs ornavit, vel magnificentius auxit?
Fas mihi majorum veniâ dixiſſe, Qvirites,
Tuq; oro JAN-GEORGE ſinas, qvi condere faſtos
Incipis, & magni facta exæqvare parentis,
Par nullum huic ſenium. Vel qvi de ſangvinè
regum
Etruſco prognatus eqves, ſuper æthera notus
Impoſuit princeps ſervare volentibus artes
Nomina, Pieridum decus àtq; æterna voluptas,
Qvantò illo inferior meritis, qvantoqve favore!
Qvantò illo, qvi ſpes ſtudiorum dictus, & unum
Per-

Perfugium miſeris, qvum deſertis Aganippes
Vallibus eſuriens migravit in atria Clio,
Et furnos Romæ ſibi conduxere Poëtæ
Balneolum Gabiis. Qvò non diſcordia cives
Egerat infelix? Qvis naufraga ſaxa, minasqve
Non ſenſit Pelagi, cum Teutonis ora cruento
Omnia miſceret bello, creberqve procellis
Africus, & gelido Boreas emiſſus ab antro,
Terribilisqve Notus miſeris cœlumqve diemq;
Eriperent nobis oculis. Ter nempe qvaterq;
Ultima cauſa ſtetit, cur ponto immerſa perirem
Funditùs, & Scyllæ nulli miſeranda biformi
Præda cani fierem: qvod Te vicina gementi
Curia, qvæ vaſto luctantem gurgite puppim
Vidiſti, teſtor, pelagi ipſa furoribus acta
Et jactata ſalo. Medio mea navis in alto
Hoc fidens rectore tamen ſecura per æſtus
Armorum, incolumis ſervata, ad litora tandem
Appulit, & pacis per tanta impendia partæ
Portum læta videns ſcopulos evaſit & undas:
Sive undæ fregére aliqvid ſcopuliqve minaces
Fortè, inſtauratum poſt aſpera fata recepit,
Unius arbitrio atqve æqvo moderamine ſalva.
Nam cum prima ſuis ageret ſolennia terris
Poſt belli exilium, partesqve vocaret in iſtas
Delectos proceres conſultandiqve peritos:
Cura integrandis de rebus magna tenebat
Communis Patriæ, de Muſis maxima noſtris
Heroa egregium, ne, qvas non improbus armis
Mars poterat pepuliſſe, atrox jam pace reducta

Pelleret Eſuries, longèqve hinc ire juberet
Extra anni Soliſqve vias. Qveis ſiſtimus, ædes
Cernitis, & celſis extructa habitacula pinnis?
Aut veterum monumenta (ſed hæc ſervare reperta
Laus, qvæſo, qvanta eſt?) aut ſunt ea dona benigni
Principis, & rebus jam ſubſunt libera noſtris,
Nunc demum titulo ſignari digna ſuperbo,
Et tanti vulgò domini ſub nomine dici.
Doctrinam auditis, totis hæc roſtra diebus
Laſſantem, pelago ſeu Sol emiſſus Eoo
Mane reviſit humum, ſeu fuſcis Heſperus alis
Invectus tenebras & Noctis nunciat umbras?
Sollicitos animos, ſanctumqve agnoſcite, dia
Pro Lege, & reliqvis noſter qvas ordine collis
Explicat ingenuas artes, vigilantis amorem,
Atqve immortali decorandos laude labores.
Nam qvis in hoc noſtrûm, qvos vel præconia
[illegible] verbi,
Vel Themidos conſulta; vel ars operoſa medendi
Exercet, vel mite Sophos cultusqve juventæ,
Eſſe manus unqvam vacuas, vel qveſtibus aures
Occluſas ſenſit, caſſumqve aſpergine fontem?
Vel Te, quæ reliqvis, qvò ſurgant altius, & ſe
Æthereas tollant ſtudia ædificata per auras,
Fundamenta locas, & primas præſtruis antas,
Pars non ima mei, Sophie, qvàm ſedulus auxit,
Qvàm non deſtitui voluit ſpretamqve relinqvi,
Prudenti impulſus ratione, & Numinis æqva
Naturæq; viis! Neqve enim illa improvida ſaltu
Trajicit, averſo vel præterit invida vultu,

Pro

Pro nihiloq; putat, faſtigia tangere rerum
Queis ſine nulla poteſt & vero fine potiri.
Nec DEUS hæc nullis, hominum ſator atque Deorum,
Obſervans oculis ſummo ſedet altus olympo,
In minimis quæ faſtus habet, hominumq; potentũ
Triſte ſupercilium: Levat atq; extollit in auras;
Nec terras, quamvis penitus penitusq; jacentes
Exuri inſano patitur Phaëtontis ab æſtu.
Et nos hunc alio, ſoror, admirabimur ævo
Tantùm & præſentis viduatæ numine longè
Amotum ex oculis, cùm ſacra antiqua ferentes
Hæc templa, has aras, hæc pulpita adibimꝰ ambæ,
Hos pictos noſtro cernemus pariete vultus,
Majorum ſanctis Divum accenſebimus Umbris,
Juſtaq; ſolventes & inania munera luctu
Ac lacrymis toties aliis certabimus oris?
Blandus enim haut noſtris tantũ fuit ille Camenis,
Nec ſolos nos iſte dolor flendiq; libido
Incitat in planctus: commune eſt, quicquid acerbi
Pectora ſollicitat, nec ſe regione teneri
Ullâ atrox patitur mœror. Quà Sala per agros,
Quà Molda irriguos ſinuoſo flumine currit,
Quà ſedes poſuere ſuas, pia Numina, Muſæ,
Fletus ubiq; ingens & plurima mortis imago.
Ante alios noſtro lacrymas confundit Elyſtro
Nymfarũ pater Albis, & hæc mecum ingemit unà.
Namq; egreſſus aquis vicina in littora quondam
Sæpe deas vidit faciles agitare choreas,
Sæpe inter medios Martis luſiſſe tumultus

Bellonæq; minas impune & vindice nullo,
Solis,Saxo,tuis munitas artibus & vi.
Quarum dum ſimili nunc angi pectora luctu,
Et deſiderio grandi langveſcere cernit
Orgia,muſcoſum caput alto in gurgite mergit,
Et domini inſolito teſtatur murmure ſomnos.
Et me lugentem quiſquam miretur,& audax
Has vitio vertat tenebras? Quis plangere natam
Ad patrios vetuit cineres? aut juſta negavit,
Si domini fudit lacrymas in funere ſervus,
Promptus ad obſequium nutusq; paratus heriles?
Major in hoc ardet pietas mihi pectore, major
Mœrendi mihi cauſa ſubeſt,quando ille Parentem
Vicit,& imperii molles inflexit habenas,
Mitior Auguſto,Tito moderatior ipſo.
Afflictæ heu quoties ſortem miſeratus acerbam
Ingemuit? Quoties velut alta indagine cinctam
Eripuit? Quoties indulgentiſſimus, error
Si quis inexpertam diverſum hanc ire coëgit
Fortè juventutem,veniam dedit?atq; roganti
Adfuit,ac faciles parenti præbuit aures,
Lenis in offenſos pariter pariterq; feroces.
Nempe hoc auguſtâ (memini) Clementia ſedem
Fixerat, & comes ſignârat pectore vultus,
Ad culpas hominum facilis, nec ſanguine paſci
Dulce bonumque putans, nunquam implacabilis ardens,
Nunquam hoſti inſultans,proſtrataq; more leonũ
Præteriens, ſoloq; malos terrore coërcens
Interdum, ut tonitru ferit aures,fulmine ſylvas

Jupi-

Jupiter,& noſtro parcit plerumq; cruori.
Cui ſe virtutum chorus aſſociaverat omnis
Sparſim habitãs alibi,hîc velut icto fœdere junctꝰ,
Et manibꝰ complexus,& uſum promtus ad unum
Juſtitiaq; potens.Quæ quanquam lege ſolutum
Leges ſubjectis mandabat dicere terris
Tantùm,& jura foro; tamen æqui vidit amantem
Sponte ſua ad legis præſcriptam vivere normam
Semper,&exemplis errantem adſtringere plebem,
Quàm fixo ære,magis.Nec tu Prudentia rerum
Unquam auctrix aberas, ſeu bello arcere petentes
Fas erat, exhauſtis ſeu pacem reddere terris,
Seu privatorum componere jurgia,vel quas
Spargit Eris myſtas inter,dea noxia,lites,
Ingenioſa,ſagax, & caſus provida ad omnes,
Ac longa annorum ſerie,longumq; ſecundis
Rebus & adverſis pariter firmata per uſum;
Omnia grandævo ſimilis vultumq; habitumque
Et canos crines & caſtæ frontis honorem.
At cunctis ſeſe Pietas immiſcuit actis
Et ſenſu,& vero conformatiſſima cultu,
Et vitæ probitate nitens, nec ficta vel expers
Veri fallaces animi unquam prodidit aſtus,
Ore aliud ſimulans,aliud ſub pectore condens;
Sed conſtans ſimiliſq; ſui,lumenq; per omnem
Diffundens bonitate, velut Sol aureus, orbem.
Hinc artes rediêre meæ,& deſpecta levarunt
Colla humiles rurſum Muſæ, patuitq; ſerenum
Ingeniis iter ad celſi faſtigia honoris,
Et merces manſit ſua quemque, nec obruta virtus

Pauperię latuit, dives nec Inertia vultus
Ex lit,aut meritis gradibus dejecit egenos.
Hinc amor, hinc veris & non fallacibus omnes
Sollıciti votis ſeros optavimus annos,
Et lento fata ire gradu, longumque precati
Vellera lanificasq; colus producere Parcas.
Hinc lacrymæ poſt fata bonis: hinc cauſa doloris
Summa mei, &, quo nunc teneor mœſtiſſima, luctûs.
Sic ait,& pluteis ſeſe illicò flebilis abdens
Res dein,æternis meditatur condere faſtis,
Et ſua vulgandis ſolari tempora ſcriptis.
At te magne Pater,nunc purior aſpicit æther,
Mœroris luctusq; expers vanæq; querelæ
Heroas animas inter, mundiq; monarchas,
Inter avos atavosq; & fortunata tuorum
Nomina,non fictas cœleſtum audire loquelas,
Et voce humana majorem agnoſcere laudem.
Eſt locus,æthereos ſupra pulcherrimus orbes,
Splendidior ſolito,reliquoq; illuſtrior axe,
Heroum ſedes effulgentiſſima, quorum
Et labor & pietas & pro nutantibus aris,
Pro fidei ſociis,patriis extorribus oris,
Altius ingentes curæ meruere locari.
Quò poſtquam angelicæ Divum duxere cohortes,
Tendit in occurſum venienti prima dearum
Relligio, primos tum fortè amplexa parentes,
Et lætis patrum gaudentum immixta catervis,
Plena DEO virgo, non qualis ſciſſa per orbem
Ire ſolet vaſtum,nec qualis mœſta Dynaſtæ,

Au-

Auſonii inſidias contra fraudesque tyranni,
Implorabat opem, cum cæde & ſanguine gaudens
Saxoniæ vaſtaret agros, partisque priorum
Poſſeſſisque ferox prædis inhiaret opimis;
Sed munda,& nullo,niſi puro, adſperſa cruore
Ora genasque ambas, ſoboles æquæva Tonanti
Terram inter cœlumq; luens quem fudit ab alto
Stipite,& immenſum moriens diviſit in orbem.
Tali diva habitu talesq; induta colores,
Splendida,labe carens,albo ſub tegmine fulgens,
Ambroſium inceſſu latè diffundit odorem,
Et propior jam facta Duci ſic ora reſolvit:
Veniſti tandem,tuaque exſpectata beatis
Æthera perrupit pietas, datur ora tueri,
Saxo , tua, & factis celebrem contingere dextram;
Sic equidem ducebam animo,rebarq; futurum
Auxiliis defenſa tuis & vindice ferro ,
Fœderibus ruptis contra promiſſa datamq;
Cum deluſa fidem,regnoq; ejecta Bohemo
Et miſeris accepta modis extorris inopsq;
Præcipites luerem, quamvis innoxia,caſus,
Et vix compoſitis per te,mitiſſime,rebus
Sileſiæ tandem & Luſati redderer oris.
Poſt etiam ſacris(quid enim Latialis inauſum
Aut intentatum ſineret furor , aut grave virus
Invidiæ?) damnata bonis & cedere terris ,
Juſtè olim partis, horrendo carmine juſſa
Saxoniæ pupilla tuæ , ſecura , procaci
Nullius tangenda manu,diſcriminis expers
Uſque fui , Latio nequicquam inviſa tyranno.

Tutius haut uſquam poſui veſtigia, nec me
Ex illo regiô complexa eſt firmius ulla
Templa per & cathedras & doctæ pulpita gentis
Privataſq; domos. Hîc feſtos edere plauſus
Ter mihi & exacti ſolennia jubila ſecli
Contigit, hîc veteres animo volviſſe labores
Numinis in laudem cœptos, ſeu voce Lutherus
Et calamo Auſonii ſolvens decreta ſenatus
Me mihi reſtituit; ſeu mens animoſa JOANNIS
Obtulit Auguſta ſociorum dogmata in urbe,
Cœleſti firmata fide: ſeu fœdere dextram
Paſſavii muros intrà cum Cæſare junxit
Mauritius fortis, libertatemque reduxit.
Nunc quoque quando tui ſimilis data ſceptra ca-
pesſit
Filius, Heroum non inficianda propago,
His aris mea ſacra calent, ævumq; calebunt:
Flammi-pedumque prius cœlum moderator e-
quorum
Deſeret, & geminas capiet ſinus æquoris Arctos,
Aut rapidas Albis Tyberini fluminis undas,
Quàm victâ pietate fidem pervertat avitam
Fœda ſuperſtitio, aut Latii fraus impia monſtri.
Ergo ades & tantis, Dux auguſtiſſime, factis,
Tanto, Saxo Pater, cape præmia digna labore
Ac generi, longo quod lætum hîc ordine cernis,
Aſſociare tuo, celſa illa in ſede locandus,
Quâ Pietas te caſta beat, rebusque ſecundis
Atque arctis pariter clavum Conſtantia ſervans,
Et noſter tibi notus amor partique triumfi.

Sic

Sic ait. At medium monſtrata ad culmina ducunt
Germanæ comiteſque deæ, Pax optima rerum,
Victrici inſignis palma, tonſaque fluentes
Cincta comas olea, longaque in veſte videnda,
Non ignota Duci jamque olim cognita mundo,
Et ſoror Erigone, terris Heroa relictis
In loca quæ fuerat, comitatu adſveta, ſecuta.
Jamque jubent ambæ feſſum poſt ardua rerum
Momenta, & varii diſcrimina lubrica fati,
Annorumque moras placidæ indulgere quieti,
Atque immortali Divûm inſtaurare liquore
Exhauſtas animi vires priſcumque vigorem,
Heu nimis attritum, cyathos miſcente Juventa.
Occupat ille gradum lætus; totumque repentè
Purus & electro ſimilis circumdedit æther,
Et lethi ignaros validè aſpiravit honores,
Inducens vires alias, aliumque nitorem.
Canities antiqua tamen, venerabilis ipſi
Et jucunda polo, reliquâ cedente ſenectâ,
Permanet indeflexa & felix inchoat ævum.
Atq; hîc æthereos infrà ſe deſpicit orbes,
Et ſeptemgemini miratur penſile mundi
Vaſtum op9, & proprio libratam pondere molem,
Palanteſque polo ſtellas. Sed in ordine pulchro
Inque æquo Phœbi ac facili moderamine leges
Imperii agnoſcit veteres artemq; regendi,
Et ſimili gaudet populum flexiſſe tenore.
Juxtà adſtant Tyria ſpectandi in veſte Monarchæ
Magnanimiq; Duces, cœlo quos ſplendida virtus
Extulit, & populum ſervandi enixa voluntas

Purpuream exhalare animam, ſeſeque per auras
Librare æthereas ad magni tecta Tonantis
Juſſit, & ambroſio cœleſtum vivere ſucco.
Quique magiſtratus caſti, dum vita manebat,
Ingentes populos tranquilla in pace regebant,
Exoſi infeſtas acies belliique tumultus.
Omnibus his amor eſt noſcendi principis, omnes,
Plaudunt & lætâ venientem voce ſalutant.
Ponè atque antè volant juvenes ardore coruſci,
Terrarum genii & regnis gens addita quondam
Fida ſuis, procerum terriſq; opibusq; potentum
Forte ſatellitium: vitai hi munere functo
Gratantur requiem & mundi melioris honorem.
At ſuprà evecto ſe clara in luce videndum
Exhibet immenſum & non enarrabile Numen,
Vitæ autor rerumque ſator, bonitatis abyſſus,
Virtus una manens tribus atque eadem, una poteſtas.
Ille avidus totâ percurrit mente parentem
Ingenitum, æternum, ſeſe in ſe ac cuncta tenentē,
Principium ſine principio, ſine fine, pèrennem
Lucis inexhauſtæ fontem, nutuq; moventem
Omnia; & antiquo cultu proſtratus adorat.
Tum Natum agnoſcit ſimili ſplendore micantem,
Exemplum Patris atque inſtar venerabile, mortis
Victorem atque Erebi, Servatoremq; potentem,
Vulnera, confoſſumque latus, fixosq; trabales,
Atque animi tormenta profligatosq; dolores
Mundo appendentem nullo diſcrimine: qualem
Spe modò fatorum medio præceperat æſtu

Cer-

Cernendum , vi ſumma artus complexus & hærens.
Nec non & ſanctam divini flaminis auram
Orbi incumbentem quondam, motuq; vegentem
Cuncta ſuo,totam ſeſe diffundere in æthram ,
Ardorem amborum, videt, & mirabile pignus,
Jungentem ſe utrique & mutua corda ligantem;
Seque adeò trino jam plenum numine ſentit,
Semper honorato,& toto ſibi pectore culto.
Salve ingens cœli decus,& Tibi ſacra per Orbẽ
Per vicos urbesque omnes & regna ferenti
Sis felix populo, quodq; hîc,dum ducitur urbem
Corpus in antiquam patrioque reponitur arcu,
Noſtra dedit Pietas,illo nunc reſpice vultu ,
Quô divina ſoles: nec ſi,quæ victa procellis
Atque carens rectore ratis,Bojema poteſtas,
Obtulit, ut digno melius flectenda magiſtro,
Sceptra recuſaſti & regni diadema ſuperbi,
Regalesque ſitus, aut nunc tibi cœlica canos
Impedit albentes amarantho texta corona,
Servati civis referentem præmia quercum
Sperne,aut hoc noſtro textum tibi gramine ſertũ;
Sed dignum te finge DEO , cui parvus,honores
Ingentes inter ſæpe auratosque juvencos,
Ceſpes,& exiguo placuit far molle ſalino;
Et quoniam rebus nulla eſt par gratia tantis,
Laus par nulla tuis , humiles ne deſpice cultùs,
Quos mœſti inferimus: vel,ſi tibi ſacra probantur,
Has lacrymas exta eſſe puta laticemque Lyæi,
Hæc fuſa ex imo ſuſpiria pectore,vota,

Candoremq; mero ſpumantia cymbia lacte.
Nos ſeu manè diem roſeis invecta quadrigis
Leucothoë pandet, ſeu præcipitata ruentem
Nox tenebris condet, memori te mente feremus
Semper, & hos animos, hæc æternanda tuorum
Factorum merita atque actos feliciter annos
In patriæ & noſtram naſcendorumque ſalutem,
Concordi ſtudio niſuque indeſide cuncti,
Quæ nos cunq; manet miſeros fortuna, canemus;
Et, ſi præſentis vultus atque ora tueri
Non datur, heroos grati admirabimur ortus,
Et magnum in Nati reverebimur ore Parentem,
Imperii qui frena tui faſcesque (ſecundis
O utinam auſpiciis!) nunc & decora alta ca-
peſſit:
Dum res pertæſi humanas vinclisq; ſoluti
Corporis, ætherea tecum jungamur in aula,
Et vultu Jovæ atq; tuo, Geniisque beatis,
Electisque, gradu quanquam inferiore, fruamur:
Hocque etiam, molli quod mox requieſcet in
umbra,
Corpus, cum clauſis exſurgent cætera cryptis,
Ambroſiâ ſaturum, & cœli agnoſcamus honore
Perfuſum penitùs, Phœbiq; illuſtrius orbe!
Ite meæ, funus nunc tollitur, ite Camenæ,
Dreſda metalliferam quà ſeſe laxat in urbem,
Egregiæque animæ, cujus Pax aurea terris
Auſpicio rediit, cineres decorate ſupremi
Muneris officio, atq; hederas, ſemperq; virentes,
(His ſaltem ut donis plauſtrum accumulemus,
adulta Dum

Dum nondum deſævit hyems) aſpergite laurus,
Mox violas tumulo,cœlum cum mite tepebit
Et Zephyris ſe pandet humus, priſcamque juventam
Induet almus ager,primi munuſcula Veris
Narciſſique comas & purpureos hyacinthos,
Lacteolasque roſas & lilia cana daturæ,
Saxaq; odoratæ ſparſuræ frondis honore:
Ite,haut longa mora eſt, jam ducitur, ILICET, ite.

SOL ORIENS IN ADVENTU

PRINCIPIS OPTIMI MAXIMI

JOHANNIS GEORGII II. ELECTORIS.

* * *

SOLI. SACR.

QUOD.BONUM.FAUSTUM.FELIXQ.SIT.

URBEM. INGRESO.

ET

IMPERI. SOLEMNIA. CAPESENTI.

HEROI. INCLYTISIMO.

JOHANNI. GEORGIO. II.

DIVI. F.

DUCI. SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. MONTIUM.

BURGGRAFIO. MAGDEBURGENSI.
S. ROMAN. IMP. PRÆF. PRÆTOR.
ATQ. ELECTORI.
EIUSDEMQ. NUNC. TEMPORIS.
VICARIO.
DOMINO. PIO. AUGUSTO. CLEMENTI.
PATRI. PATRIAE.
ACADEMIÆ.
SOLI. ORIENTI.
AC
SOSPITATORI. SUMMO:
INTER. VOTIVOS. ORD. OMNIUM.
PLAUSUS. ET. RELIGIOSA. SALUTANTIUM. OSCULA.
PRIDIE. KAL. OCTOBR.
QUEM. ANNI. AUSPICATIORIS.
INITIUM. OMINABANTUR.
PRÆFATI. DEUM.
FIDEM. JUREJURANDO. ALLIGARUNT.
SERENITATI. EIUS. IN. PERPETUUM. COLENDAE.
OBSTRICTISSIMI. CIVES.
A. E. C. cIↄ Iↄc LVII.

INgredere, Heroum ſanguis fortiſſime, noſtros
Et dignare tuo præſentis numine muros:
Ac titulis adſveſce novis, patriæque vocari
Sol oriens ac dulce jubar, per nubila vultum
Expandens roſeum, & radiis loca cuncta ſerenans,
Triſtitiæ expulſis tenebris luctuq; fugato.

Lon-

Longa nimis cives tenuit Nox, longa laborum
Afflixit ſeries, curisque ingentibus ægros
Lentâ heu damnavit caligine: lumina poſtquam
Sol prior ille Urbi, belli formidine preſſæ,
Et domini imperium externi non molle ferenti
Per nebulam oſtendit tantum; vel luce reducta
Paulùm, & nondum omni ſplendore micantibus arvis
Occidit, ac denſis iterum caput abdidit umbris.
At nunc Te plenâ rebus ſuccedere tantis
Luce vident omnes damnumq; rependere mundo,
Aſſvetum regno dudum & felicibus auſis,
Juſtâ ætate virum, nec dum puerilibus annis
Frena affectantem imperii currusque paternos,
Quos valido tenuiſſe labor. Videt Orbis eodem
Lætaturque alacres decurrere tramite mannos,
Ambroſiæ ſaturos ſucco, ac præſepe ſolutos
Ire per immenſos, poſtquam data copia, campos,
Et ſpatium aurigæ ſanctè ſervare prioris;
Agnoſcitq; pius veteris veſtigia flammæ,
Qua ſeſe in latas Romani nominis oras
Porrigit, & ſimili nobiſcum luce coruſcat,
Non trepidus, non ille iterum confuſus & exſpes,
Aut metuens miſeris incendia priſtina terris
Antiqvumque Chaos; ſed qualis falce ſub ipſa
Saturni, magno vel ſub Jove tutus agebat.
At Stygiæ fugiunt relerato lumine peſtes,
Et diræ ſcelerum facies, quibus alta feruntur
Imperia in præceps atque inclinata recumbunt,
Detectam ulterius lucem tolerare recuſant.

Gens Erebo nata atq; Hecate, damnataq; longis
Agmina carceribus, tenebras inviſa repoſcunt
Et veteres thalamos, ubi regna domeſtica Luctus,
Et conſanguineæ poſuere cubilia Curæ.
Sidereæ contra comites, gens edita olympo,
Agglomerant lateri, curruſq; ſeqvuntur ovantes,
Incorrupta Fides,& nudi conſcia Veri
Virgo, & divinis Pietas exercita rebus,
Et Recti tenor, & fati Conſtantia victrix,
Et quæ ſubjectas dea provida temperat urbes,
Noctem exoſa gravem ac gaudentia Numina Phœbo.
Salve ô naſcentis mundi illuſtrator, & ingens
Cæſaris auguſti poſt fata Vicarie regni:
Optime Dux ſalve, reſtaurature beatos
Annorum curſus,& inertibus aurea terris
Secula,præteritique oblivia publica fati.
Non te Saxoniæ tantum Myſiæque feracis
Luſatique ſolum, priſciſque habitata Sorabis
Obſequioſa colit regio,dominumque fatetur,
Et renovata tuis tranſſcribit tempora faſtis:
Ipſa tuos ſupplex Aquila illa biroſtris adorat
Vultus,& paſſis tibi plaudit in aëre pennis,
Orbati imperii columen fulcrumque ſalutans,
Non edocta modos,nec vocem imitata faventum;
Obtutu explorans vim tantam & numina ſolo,
Cœleſtemq; animum & curis ſublimibus aptum.
Antè alios pronus tibi ſeſe advolvit Elyſter,
Cornibus infractis,& glauca tectus ab ulva,
Et pene exhauſtus lacrymis, feralibus undis:

Et

Et mite ingenium venientis,mitia cernens
Arbitria, ac ſibi ſe poſt planctum & funera reddi,
Reddi etiam nemorum, quæ proximus alluit,umbris,
Totus ad imperium ſeſe componit herile.
Jamque ait hæc lætis decurrent flumina ripis
Rurſus,& in pingues ludent aſpergine campos,
Et ſua Pliſniacæ ſociabunt otia Nymphæ
Nobiſcum, & mœſtam recreabunt plauſibus Urbem.
Rura,ſinus nodo leviter ſuccincta fluentes,
Nutriet alma Ceres,& pleno Copia cornu,
Annonâ ſuperante fidem, tutusque beata
Arva pererrabit Bos:nec Diſcordia cives
Aut ſtimulis diverſa ſuis afflabit Alecto,
Heu tanto defuncta malo, cum belliger Arctos
Mœnia,& inſanos animos Furor altus haberet.
Nulla fidem impietas franget, nec dextera fallet
Ingenium mentita dolo niveumque colorem:
Nec ſcandent fulmenta torum, poſitasq; curules
Cerdonum pſilothra petent: ſua quemq; manebit
Gloria honosq; ſuus,reverentia debita ſorti.
Culpam juſta premet Nemeſis,ſontesq; flagello
Cædet,& à tergo temerè irritata ſequetur.
Fallitur, hoc tanto quisquis ſub principe credit
Servitium: nuſquam Libertas lætius ora
Exſeret,aut domino ſuberit parere jubenti
Promtiùs, obſequio confidentiſſima in ipſo
Et ſecura ſui. Nec tu, Clementia, ſceptris,
Aut victrix aberit crepitante Ciconia roſtro,

Par-

Parcere ſubjectis adſveta, nocere ſuperbis,
Et grave ſubductâ confundere fronte ſerenum.
Sic docuit regnare Pater, ſic frena Juventæ
Et præcepta dedit, teneros ſic moribus annos
Imbuit, & magnos olim formavit ad auſus,
Longè ille Auguſto felicior, improba cujus
Exoſas patri tædas fecere jugales
Pignora, longè illo, cui res oſtendere tantas
Vix uni exemplo licuit factisq; paternis,
Inſtruere & monitis recidiva ad Pergama natum;
Teque adeò, Phrygiæ regnator maxime, in ignes
Qui cadere illa videns, numeroſâ prole peremtâ
Elyſias ſenior raperis grandævus ad umbras;
Aut, ſi quis ſupereſt, lapſantem in ſanguine cernis.
At vos Heroi candentia fila ſorores
Nectite, deq; annis annos adjungite veſtris,
Et junctos cumulate novis. Eat oro per annos
Iliacos Pylioſq; ſimul, ſemperque recenti
Se facie oſtentet nobis, viridiq; juventa
Splendeat, ut Pelago Titan novus exit ab alto
Manè, vel Eoâ reparabilis ales ariſtâ
Se revocat, cunaſq; ſuas patriumq; ſepulcrum
Pulchrior ante fores Hyperionis æde reponit.
Sic ait, & læto ſylvas ac flumina plauſu
Vicinoſq; deos ad vota & gaudia ſecum
Incitat: agnoſcunt monitûs facileſq; Napææ,
Et Dryadum chorus omnis, & uda in littore Nais,
Ac percuſſa gravi querceta fragore reſultant.
At ſtrepitu excitus (namq; intrà pulpita clauſus
Hactenus incani lugebat fata parentis,
In-

Inclitaq; æternis ſcribebat nomina ceris)
Pulvere conſperſum caput erigit ocyus, & Te
Germanosq; pios, Saxo,quos impetus idem
Tecum occurrendi rebus,fractisq; medendi
Huc agere & Pietas & cœleſtiſſimus ardor
Heroâ virtute Duces, & gratia viſâ,
Succeſſiſſe oneri gaudet vicinus Apollo:
Dumq; animo expendit fatorum ſigna novorum
Fraterni Imperii,quæ conſociata poteſtas,
Spondet & unanimis ſenſus, Salve,inquit, A-
vorum
Regali de ſtirpe,nec inficianda tuorum
Progenies,geminos, felicia ſidera, fratres
Bis referens Ledâ genitos magnoque Tonante.
Tales, cum caſtas gens Bojohema Camenas
Pelleret, & Myſias fortuna referret in ôras,
Saxoniæ vidi proceres,famâ inclita & auſis
Nomina,defectis divarum occurrere rebus,
Et ſede errantes certâ tutoq; receptu
Ponere, nec parvo nova condere mœnia ſumtu
Hoſpitio expulſis veteri: ceu tecta Pyreneus
Cum ſua, fallaci veneratus numina vultu,
Clauderet,æthereas pennæ ſonuere per auras.
Tales nunc etiam, ſed veſtra in imagine, cerno,
Magnanimi Heroes, veſtroq; levatus amore
Erigor in veteres ſpes,& benefacta parentum
Auguror in natis ac priſci temporis aurum.
Ac velut illa prior meritis ingentibus ætas
Aucta ducum ſancto ſervavit fœdera nexu:
Sic non ulla fidem temerabunt ſecula noſtram;
Et

Et tibi perpetuos, ſoboles generoſa, tuisq;
Factis rite pares gens iſta vovebit honores,
Perpetuum obſequium, nulli pietate ſecunda,
Excubiis nulli, curaq; indeſide vitæ,
Fortunæq; tuæ, quam fauſtam cernere ſemper
Florentemq; cupit tantumq; ſecunda minantem.
Sive illa auguſtis obſcævat turbida rebus
Fortè, atq; averſo meditatur prælia vultu,
Prompta ſequi fatum, & letum pro laude paciſci.
Atque alii latera opponent & vivida bello
Pectora, Teque ſuis defendent fortiter armis.
Nos imbelle genus, quanquam nec ſanguine noſtram
Adſtrinxiſſe fidem pigeat, diverſa ſequentes
Imperium docta validè firmabimus arte,
Et quos conſilium, quos fandi copia, & acri
Cognitione potens animus rerumque peritus
Ornet, Pieriis juvenes mittemus ab antris,
Regni fulcra tui. Neq; enim præſtantius ullum
Artibus indulſit miſeris mortalibus æther
Præſidium, aut magnis moderandis utile rebus
Servandisque magis: Nec vel Solyme alta, vel Hebro
Gens oriunda ſacris habitavit lætiùs arvis,
Aut infracta minas riſit generoſius hoſtis,
Quàm cum felices coluit Sapientia terras,
Miſſa polo primùm & populo donata beato,
Et pubem eductam varios armavit in uſus.
Hac vicina Phari tellus, urbesq; Pelaſgæ,
Hac domus Aſſaraci ſtetit & Romana propago,
Gra-

Grajos docta modos. Hac tu Germania palmas
Et trabeas ſpecioſa meres celſosq; triumfos,
Ante rudis populus cultuq; informis & aſper,
Et vaſta cum mole ruens. Hac longa vigebis
Saxonia,Heroum prudenti ſubdita dudum
Arbitrio,& titulos famamq; tuebere priſcam,
Doctis fœta viris: ceu qui ſuper ardua venit
Pergama,divina conſtructus Palladis arte,
Fortes fudit eqvus manibus belloq; potentes.
Jamque tibi hæc omnis longè latéque juventus
Præſtò eſt, & nutus firmando aptiſſima regno
Expectat devota tuos,ſeu dicere quondam
Jura, atque Eunomiæ tractare negotia divæ,
Seu templis præeſſe velis, ſeu corpora morbis
Pellere, & incolumes ſervare ad munia cives:
Seu grave Martis onus ſub te tolerare Magiſtro,
Et, ſi ſortè dolis (Dii terrâ avertite peſtem)
Irrequieta ſuis Injuria concitet orbem,
(Namq; ad utrumque valet, cum res ita poſtulat, haſtâ,
Ingenioque potens Virgo Tritonia & arte)
Pro trepidis gerere arma focis, arasq; tueri.
Illa tuo vitam ſibi reddi munere credens,
Mellifluisq; animum fidibus modulosq; ſuaves,
Plaudit,& auſpicio tàm læto animata triumfat,
Templaq; Fortunæ reduci meditatur &arcus,
Non quales vorat imber edax,æviq; vetuſtas
Deſtruit,aut ferri vis impactæq; ſecures,
Æoliæque minæ; ſed quales didita terris
Fama celebrat anus,ſcriptisq; exaucta docentum

Cœlo

Cœlo æquat ſummo. Quanquam nec pegmata de-
Artifici fabricata manu, doctiq; Lycei, (ſunt
Felicem adventu factum, ſimulantia vultum.
Stat latam complexa viam, geminumq; bivertex
Tollit in aſtra caput rupes; Janosq; bifrontes
Victoris populi & portas imitatur ovantes,
Magnificosq; aditus: per quos tu maxime tranſis
Heroum, geniumq; loco famamq; perennem
Concilias. Medio cithara me vertice cernis
Ludentem, & Clarias celebrantes orgia mecum
Hinc atq; inde deas. Numerum radice ſub ima
Fratrum æquant regni Virtutes fulcra, meiq;
Præſidium prægrande chori. Levat ecce beatam
Relligio ſincera crucem, numenque vereri
Imperii palmare decus firmamque columnam
Eſſe docet rerum. Cui cœlo reddita nuper
Annuit, & juſtâ librat Virgo omnia lance,
Cuiq; ſuum tribui mandans, gladioq; rebelles
Terrens atq; acri contemplans ſingula viſu.
Nec dea fortis abeſt, cui bellum atq; horrida cura
Arma ducũ, & trepidis quæcunq; infeſta Camenis
His arcere jugis amor unus & una voluptas,
Ingenium fractâ oſtendens & robora pilâ.
Nec Samiũ quæ quarta ſacrũ Prudentia complet,
Summæ gnara rei, quondã his educta ſub antris,
Montem deſtituit generi notiſſima veſtro,
Et ſpeculo celebrata ſuo tortuque colubri.
Par operi ſedes. Hinc ſupplex brachia pandit
Mars Tibi, & Aoniæ ſtomachatur culmina rupis
Tam vicina ſuæ, Paciq; opus imputat illud,
Ipſe

ſe intus ſuper arma ſedens,vinctusq; catenis
uſtodem metuit: Themis hinc delubra domosq;
bſepſit conſulta ſuas,perq; ardua montem
e medium penetraſſe videt:Ponè alta Tonantis
empla calent,annosq; tibi vitamq; precantur,
roque Duce aſſiduis delaſſant æthera votis.
æc juvenum pietas.Sed quos docuiſſe Parentis
rovida majeſtas juſſit, celſaq; juventam
cathedra inſtruere,atq; artes ſtabilire, minantes
ominus interitum,dum magnos poſcere natos
gnoſcunt eadem, monitusq; recurrere priſcos,
uàm læti imperiũ,quàm promti juſſa capeſſunt!
uàm te, qui præſens oculis opera omnia luſtras,
ois invectus equis,reverenter adorant!
uáque is, ſollicito veſtigia celſa ſeqvuntur
bſervantq; animo!quantum non fortis Iberus
ontendit, roſeo Phœbum ſectatus ab ortu,
t memorem ſtatuens,excluſus finibus,aram.
ed non exta tibi,non mellea liba,nec aurum
ec tripodas phialasq; parant crateraq;, qualem
erxes,Phryxéo veneratus numina ponto,
erſit, & Argolicos ivit ſecurus in hoſtes:
uando nec hæc vis eſt, nec te,quæ ſufficis ipſi,
ajeſtas,tibi, vana juvant hæc dona;ſed unam,
ua patri placuere,fidem, quâ Numina gaudent,
t capiti ſe membra probant, imisq; ſuprema
ærent, & vaſto ſociantur corpora mundo,
ngenuis verſant animis & pectore toto,
amq; ad divinos,cœleſtia lumina,vultus
dmiſſi propius, Tanto patre digna propago,

Juro

Juro fidem, quisque inquit, & hanc tibi conſecro dextram (ſtor
Hanc animam, hoc corpus, cœlumque& ſidera te-
Cœlum ſuſpiciens palmamq; ad ſidera tendens:
Nulla dies legem hanc unquam, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadet: nec me vis ulla volentem
Obſequio avertet, non ſi ſe effundat in æquor
Diluvio tellus, cœlumque in Tartara migret.
Sic Patri ſic fidus eram, ſic horrida Martis
Neglexiſſe fidem cum me germana juberet,
Urbem intra corpus, mentem extra obſeſſa tenebam
Mœnia, & in mediis animo invictiſſimus armis
Propoſito ſtabam, nulla inflectendus ab arte,
Vi nulla cogendus, & hæc tibi, ad æthera poſtqu
Ille adiit, tantis ſubiture quaternio rebus,
Intemerata ferens ſincero pectora cultu.
Et dubitamus adhuc Te Solem dicere, luci
Æmula Lux noſtræ, ac mundi melioris origo,
Sive uno coleris ſub numine, ſive quaterno,
Et cœli, feſſi rerum, tranſcribere faſces?
Dixerat; atque ultro jubari ſummittit habenas,
Et longum reſerare jubens mortalibus ævum,
Abdicat imperio, quod lato exercet olympo,
Aonidumque ſacris tantum ſe ſervat Apollo.
Ergo Sol nobis iterum atq; iterum auree ſalve
Quadrifidumque lubens Phœbi moderare laborem,
Et bona tranquillo deducito tempora cœlo,

Ac

Ac conſanguineis felicem autoribus annum.
Primus eat pomis gravidus Bacchique racemis
Autumnus, lenique tuo ſe veſtiat æſtu,
Dives opum & largo ſpicarum munere turgens,
Et primo ſimilis ſibi, cum pulcherrimus orbem
Condidit,& rebus maturos reddidit ortus.
Tum mitis ſuccedat hyems,nõ grandine pugnans,
Non Aquilone rigens,aut triſti frigore lædens,
Sed placido tepefacta Noto. Ver inde ſerenum
Arboribus frondes & apertis gramina campis
Reſtituat.Plenis mox ardens meſſibus Æſtas,
Et ſpicata Ceres & Eteſia flabra ſequantur,
Imperii ſimulacra tui. Sed nobilis annum
Inchoet illa dies,quæ te,placidiſſime,nobis
Rettulit & Muſis, Parcarum condita pulchro
Vellere, & incanæ Thetidos ſignanda lapillis,
Ac memoranda diu, geniumq; habitura perennẽ,
Atq; ortus ſine fine novos. Hanc feſta quotannis
Pieridum celebrent, & blando nomine Solis
Indigetis ſignent: hanc lætæ in floribus Horæ
Scribant,& faſti memores in ſecula ducant.

CHA-

CHARITES LIPSIENSES
MAXIMO. OPTIMOQ. PRINCIPUM.
JOHANNI. GEORGIO II.
HEROI. INCOMPARABILI.

SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. MONTIUM. DUCI. S. ROMANI. IMPERII. PRÆFECTO. PRÆTORII. ATQVE. ELECTORI. POTENTISSIMO.
LANDGRAVIO. THURINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ. AC. UTRIUSQVE. LUSATIÆ. BURCKGRAFIO. MAGDEBURGENSI. COMITI. MARCÆ. ET. RAVENSBURGI. RAVENSTEINII. DYNASTÆ.
PIO. MUNIFICO. CONSTANTI. JUSTO. LIPSIA. DISCEDENTI.
AUSPICATISSIMUM. ITER. ET. QVÆCUNQVE. HOMINIS. AC PRINCIPIS. VOTA. SUNT. PRECANTUR.
ET. PRO. MUNIFICENTIA. QVA. NOVO. EXEMPLO. QVATUOR. FACULTATUM. PROFESSORES. EORUMQVE. POSTEROS. AFFECIT. GRATIAS. IMMORTALES AGUNT.
SERENITATI. EJUS. IN. PERPETUUM. COLENDÆ. DEVOTISSIMÆ.

Tem-

TEmpeſtate potens, & cincta minacibus Euris,
Sed tepidâ tamen haut rarò clementior aurâ,
Arbitra, Hyems, alio veterem quæ dividis annum,
Et gemino faſces aperis non invida Jano:
Mitis ades, nec cana gelu fœcundaque nimbis,
Nec qualis ventoſa premis ſubjecta trioni
Æquora, Parrhaſiosque uris ſævisſima colles:
Sed qualem Eoas te ſtringere cernit Hydaſpes
Non iratus aquas, fœtamque tepentibus Auſtris
Hybernis turgere roſis ſub Cæſare Roma,
Aut victam innocuas Zephyris expromere vires
Tellus noſtra videt. Sin dura atque aſpera cultu
Ingenio indulgere paras regnumque tueri,
Hos aliquot modò parce dies,& ſævior olim
Horridiorque redi, nobisque volentibus omnes,
Nil nocitura, minas effunde: feremus habenas,
Et non inviti triſtes tolerabimus iras,
Nunc uſi placidâ ſaltem, dum mœnia PRINCEPS
Linquit, & hinc alias hilaris ſe vertit ad urbes,
Depoſitum tibi grande datus. Ne mitia læde
Pectora, nec dominos ſævo affla ſidere currus,
Aut celeres incide rotas, queis ducitur ipſe;
Sed moderare gelu, quantum ipſum moribus æquis
Majeſtate vides, fronti gravitate benignæ.
Tota ſalus patriæ rhedâ componitur unâ,
Imperiique decus regale, ac ſumma poteſtas.
Grata ſimul vehitur populo Clementia, cœlo

Quæ vel ſola ducem divisque potentibus æquat,
Cætera ſi deſint. Nunc huc ſe contulit omnis
Virtutum chorus,atque illo ſe ſuſtinet axe,
Quo dominus poſitus,non vanâ mole ſuperbo.
Relligio ante alias, & tanto Principe digna
Juſtitia, utilibus rectum præponere ſvadens,
Et dictis firmare fidem. Nec labilis hæret
Aut incerta comes Conſtantia: neſcia flecti
Propoſitique tenax pectus, quà fertur,avitum
Ambit, & antiquos patrum ſe agnoſcere vultus
Gaudet,& avelli negat unquam. Cernis,ut ipſi
Cornipedes lentos, & quid generoſius illis?
Agglomerent greſſus,ſinuentq; volumina canti,
Et pondus ſe ſcire probent?Tu mollia fidis
Frigora, & æquatas aſpira leniter auras,
Aut niveis allude nives, certaq; colore.
Nec Charitum fors nulla tibi ſit cura ſequentum,
Ad ſacra feſtinant pilenta, & munere tanti
Excitæ Herois meditantur carmine grates:
Nuda cohors metuensq; tui (depone rigorem)
Et ſolo in præſens,nec culto,carmine dives.
Nec numerum mirere; auxit placidiſſimus ipſe,
Et greſſu hanc quartam nec iniquo incedere juſſit.
Audiamur: favet ipſe polus Solq; aureus imis
Emergens latebris, gelidoq; faventior orbi,
Temperat immites pulſis Aquilonibus auras,
Admittitq; deas. Quarum quæ prima ſororum
Paſithea, his dominum alloquitur gratiſſima
dictis:
Auſpiciis i Magne bonis ventisq; ſecundis,

Et

Et ſoſpes generi illuſtri patriæque perenna,
Vincere dignus avos:factis ingentibus omnes
Ut vincis,Muſasque novâ pietate mereris
Ignotaque prius. Juſſæ dare munera ſylvæ,
Juſſus ager,caſtisque domus non una Camenis
Commoda, nec Cereris nulla eſt aut ſportula Bacchi:
Nondum undæ faciles ſeſe blandæq; dedere.
Tu primus prægreſſus avos nunc flumina Muſis
Concilias, & ligna jubes adnare quotannis
Supponenda focis. Rapidus tibi paret Elyſter,
Atque operi accingunt tanto ſe Najades ultro,
In Pliſnæ miſſura ſinum pia numina, quicquid
Oreades ſylvis dudum eduxere Variſcis
Lignorum, duro ſeu natum robore,ſeu fors
Molle ſolum genuit flammisq; rapacibus aptum,
Jamque tibi æternas,Indulgentiſſime,grates
Hic noſter chorus omnis agit,memoriq; recondit
Mente datum, faſtis ſcriptum miſſurus in ævum,
Et queis munificâ proſpêxti dote, nepotes
In laudes, generoſe, tuas cultumque perennem
Hortaturus avi,meritis dum ſecula tranſis,
Venturosque foves, & non præſentibus æqvum
Tantùm iſto facilemque geris te munere patrem,
Sic ait, & blando dimiſſa à Principe nutu
Vel votis ſequitur,vel mente ſalutat euntem,
Et mites hyemes converſa focumq; calentem
Ignibus aſſiduis Muſis promittit amicis.

ONOMASTERIA FRIDERICI à METSCH,

Toparchæ in Reichenbach & Frieſen, Sacræ Cæſareæ Majeſt. Conſiliarii, Ærarii Imperialis Præfecti, Sereniſſimo Electori Saxoniæ à Conſiliis intimis, & Proto-Synedrii Præſidis.

Pridie Non. Martii A. cIɔ Iɔc XLVII.

DA veniam imbelli, Præſes mitiſſime, Muſæ,
Da veniam, & placido trepidantem reſpice vultu.
Nam tua feſta canit, nomenque ad ſidera plauſu
Fert ſtudioſa ſuo, quod Sol emiſſus Eoo
Novit, & Heſperio currus in flumine condens.
Parva loquor, tibi tota cohors placidiſſima Pindi
Se parat, & dudum meritos largitur honores,
Æternis Famæ inſcribens tua nomina faſtis:
Splendida præſentis venerari volta decusq;
Qvum plauſu nequeat, Philurea nuper in urbe
Ceu potuit, ſacris dum gens devota Camœnis,
Adventu gaviſa tuo, præconia laudum
Debita voce, chely, numeris fidibusq; ſonaret
Gradivo patiente deo. Nox illa ſereno
Vi a die melior, quo Te plaudentibus aſtris
Et Luna ridente choros Academica pubes
Omnis ad aſtrimici tabulata nitentia cœli
Extulit, & plena PATRONUM voce vocavit.

Scili-

Scilicet haut tantum moderaris publica rerum
Momina, quæ Cæſar, quæ defert Enſifer Heros,
Quæ miſera afflictis committit Patria rebus,
Conſiliis ſæpe uſa tuis, ventoq; ſecundo
Et medios Bellonæ inter Martisq; tumultus:
Ipſa quoq; hæc oculo Muſarum tecta benigno
Reſpicis & radios doctorum in pulpita mittis
Aulai è medio. Summo ſic altus Olympo
Phœbus acerſecomes radiantia tela per auras
Projicit in terras penitus penitusq; jacentes,
Cuncta videns & cuncta fovens & cuncta vigore
Nativo recreans Hoc foti lumine ad artes
Proſilimus Clarias, teq; abjectiſſima rerum
Segnities fugimus; preſſum hoc languentibus umbris
Magnanimi caput exſerimus Cœloq; levamus.
Salve ergo Aonidum decus immortale Dearum,
Salve Aulæ Summique Ducis flos, Miſnidos Atlas,
Salve & ſidereas imitantia lumina flammas
Huc quoque ſparge lubens, nec, ſi tibi doctior Orbis
Plura olim ſtatuit laudum monumenta tuarum,
Sperne coli tenuiore lyra. Sua vina Lyæo
Reddimus & Cereri ſua dona: nec invida cingi
Luna aſtris renuit. Sic Te pia Numina, ſic Te
Quem magno auguſti celebras nunc Principis anno,
Annos ſi fas eſt numerari in Principe, ſic Te
Iſte dies Rutæ ſervet volucriq; biroſtri

Romani Imperii, quod Te quoque vindice ad
Iſtrum
Induperator habet: ſic vellere conditus albo
Proſperior redeat, teq; ô ſanctiſſime ſerô,
Serò & poſt partæ longiſſima tempora pacis,
Poſt Patriæ atq; Ducis decora inſtaurata virentis
Indigetem terris adimat Cœloque redonet.

MUSARUM PRÆSIDIUM IN PROTOSYNEDRII. ELECTORALIS NOVO PRÆSIDE HAUBOLDO. A. MILTITZ. IN. SCHENCKEN. ET. SCHARFENBERG &c. FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ. IN. ACADEMIA. LIPSIENSI. NOMINE. AC. JUSSU.

AN. Æ. C. cIɔ. Iɔc. LVI.

MENSE MARTIO.

POne modũ lacrumis, & ſparſos pulvere crines,
Obſtipumq; caput nunc paulò erectior effer
Patria poſt pullos habitus, atrasq; cupreſſus,
Quas pia Metzſchiadæ ſtatuiſti poſtibus, orba
Præſide, & hoc tanto miſerè viduata patrono.
Vosque adeò quas Pliſna graves haurire dolores
Vidit, & ad ripas paſſis reſidere capillis,

Aut

Aut infelici conſtringere tempora fronde,
Diſcordesque modos & ſingultantia verba
Fundere Pierides, Parnaſſia vellera laurus
Sumite, funeſtamque hederis ſecernite taxum,
Atque ad deſvetos iterum vos vertite cantus
Fletibus exhauſtæ vanis. Non iſta moratur
Semo, leves planctus atque illaudabile carmen
Exoſus, functo quæ ſaxit Funera vulgo.
Jam rude donatus, jam luctu liber ab omni
Concilia Heroum juxta Manesque beatos
Accolit & pulchro Divûm bibit ore liquorem.
At vobis aliud deterget nubila cœlum,
Et novus exoritur, partesque, ut merſus, in omnes
Lætificos ſpargit radios Sol aureus orbis.
Nam de MILTITIÛM prognatus gente vetuſta,
Nobilitate potens & clari ſanguinis ortu,
Et virtute ſua factisque illuſtribus Heros
Nunc aliquis ſurgit, veſtrique incenſus amore
Lapſuris humeros rebus fortiſſimus Atlas
Supponit patriæ, ſtellisque ardentibus aptum,
Quà ruere in præceps viſus, ſuſtentat Olympum,
Religionis amans, juſti ſervator & æqui,
Et canæ Fidei, vitæque exactor honeſtæ,
Ipſe utraque valens, primoque, ſimillimus auro:
Quem vos, ſcitis enim, Divæ, geſtaſtis in ulnis
Excelſo ingenio, & generoſo pectoris æſtu
Ardua anhelantem jam tum faſtigia Avorum,
Et docti gregis haut parvo incendiſtis amore,
Nec ficto ſtudio, ſed quali regibus ortus

Hetruſcis notos Auguſtø reddidit olim
Mincigenam & Tejo celebrem ſermone Sabellum
Charus eques vobis, parq; huic ingentibus auſis.
Jamq; alius Templis nitor & mutata beatis
Cernitur eſſe Scholis facies, ſpes quando relictas
Erigit, & tanto ſecuras eſſe patrono
Non incerta jubet. Nec vos lugebitis ultrà
Artibus ingenuis informandæque juventæ
Impenſos toties non apparere labores,
Aut ſua ſollicitis averti præmia Muſis.
Æqvus ad hæc placidos flectet diſpendia vultus,
Nec gratis ſinet eſſe probas. Non juſtior alter.
Reſpicit injuſta vexatos ſorte, doletque,
Quas coluit, vulgi damnari ſenſibus artes,
Ac nauci vix eſſe, vagum quod continet orbem.
Audior, atque choros video inſtaurare priores
Quà virides lambit ripas ſinuoſus Eliſter,
Carminaque exanimes rurſum intonuiſſe Camenas,
Quas inter vultu Sophie demiſſa propinquat
Lætior aſſveto, divasq; hortatur & acres
Excitat in plauſus omnes, decimamque videri
Se cupit, atque alacres fallit permixta ſorores,
Ac prior impavidum ſermonem in talia ſolvit:
Salve præſidium ſacris nunc addite noſtris,
Heroum palmare decus, cui maxima rerum
Gloria concordes legit in præconia voces,
Et cultum, quem teſtor ama, nec, ſi tibi Peitho
Eloquium, terſæque dedit oracula linguæ,

Sper-

Sperne coli noſtra, Præſes Generoſe, loquela;
Nec genus hoc tantis meritis deforme, vel iſto
Inferius ſplendore puta, quo Cæſar & ipſe
Rex hominum Divumque coli ſe paſſus honore eſt.
Et patiere coli. Tua terris dedita namque
Temperies animi eſt, mixta & gravitate Venuſtas
Diis ſimilem facit, & priſcis heroibus æquat,
Quos dubium virtus magis, hæc an magna poteſtas
Vexerit ad ſummum. Quis enim per ſecula tanta
Non Titi ingenium laudat mentemq; benignam?
Quem Cyri probitas fugit & victura per ævum
Gloria Trajani? Vulgò traducitur effrons
Tarquinius, torvusque Nero & quos Roma ſuperbos
Indignata fuit dominos. Tot perdidit urbes,
Ambitio & tumido veſana ſuperbia ſenſu,
Quot potuit, ceſſante metu, quaſi ſola tueri
Mitis & augendis aptiſſima Gratia regnis,
Qua Sidus præluſtre micas. Sunt cætera, vaſto
Pectore quæ condis, laudum argumenta tuarum
Singula, Religio, rerum Prudentia cuſtos
Et Ratio, & ſpectata Fides, gravibusque decorum
Moribus Ingenium, & fixo Conſtantia vultu
Atque ex non unis hauſta Experientia terris,
Otia quas fugiens cœlumque imitatus adiſti,
Et quæ plura tenes; Unâ hâc invicte triumfas
Et titulos virtute præis. Hac ſuſcipe quicquid
Cādida ſimplicitas, &, quæ nunc cætera complet,

Obſequioſa fides tanto deſignat honori:
Et, ſi ſæpe deo placuit dona inter opima
Ceſpes, & exiguo farra intermixta ſalino,
Lenior ad noſtros flecte, Heros, lumina cultus,
Et mentem non triſtis ama. Sic Principis Aulæ,
Sic Patriæ præeſſe diu divina poteſtas
Te jubeat; laurus ſic conſervata recentes
Poſteritas tibi grata ferat memoresq; coronas:
Sic artes vigeant, noſter quas ordo beatis
Mentibus inſtillat, meritosq Induſtria fructus
Sentiat atque tuos longum experiatur amores.

PLAUSUS ELYSTRINUS
PERILLUSTRI. AC. GENE-ROSISSIMO.
DOMINO.
DNO. CAROLO.
LIBERO. BARONI. A. FRI-SEN. ROTAVIÆ. DY-NASTÆ. &c.
SUPREMI. ECCLESIASTICI. SENATUS.
NOVO. PRÆSIDI.
LIPSIAM. VENIENTI.
FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ.
IBIDEM NOMINE. AC. JUSSU.
A. E. C. cIↃ IↃc LXI.

Ergò

ERgò moras rumpit, tantoque adſurgit honori,
Aonidum permiſtus aquis, devotus Elyſter,
Et nova tot priſcis accenſet munera factis,
Miraturq; decus, quo Te exſplendeſcere rurſus;
CAROLE, dives avis, ortuq; inluſtris equeſtri,
Sed propriâ major virtute prioribus Heros,
Conſilii gravitate videt ſacriq; Senatûs
Præſidio auxilium rebus promittere feſſis.
Tardior ille quidem, nec te torrentior Albi
Magne pater, ſed non cultu inferiore tuendus,
Nec pietate minor, gelido ſe proripit alveo:
Atque algâ poſitâ glauco velatus amictu,
Umbroſâq; udos redimitus arundine crines
Ad ſua dum curſu tendentem mœnia cernit,
Quaque is, magnifico ſpargentem lumina vultu,
Gaudet, & has imo prorumpit pectore voces:
Salve Friſiacæ, ſalve, lux aurea gentis,
Aulæ ingens ſalve columen, Patriæq; voluptas,
Atq; oneri ſuccede lubens, quod Numine dextro,
Pondus nunc aliud librans aliumque laborem,
MILTITIUS nuper tenuit, fortiſſimus Atlas:
Nec grave ſit curis ſacras junxiſſe profanis,
Et Clarias ſervaſſe deas Arasq; calentes
Protexiſſe manu: quando ipſe utriq; ferendo
Par habitus ſemper, tantoque potentior artes
Aſſeris, ingenio quantò complecteris omnes
Doctrinaq; magis. Cauſanti ſupplicat ultrò
Ecce Tibi Pietas, cœlo gratiſſima Virgo,
Atq; uno terris retineri hôc flebilis optat

Præſide,non culpâ, non fraude expulſa docentum
Diſcentumve malis. Cui ſe ſubjectior addit,
Littora noſtra colens,jamdudum lætus Apollo
Imperio ductuque tuo. Tibi credere ſoli
Hic antra,hic teneris penetralia dicta Camœnis
Geſtit,& æternas meditatur pectore laurus
Auguſto capiti, & viridantem frontis honorem,
Ante alias SOPHIE forti moderamine gaudet,
Et par. invidiæ per Te damnisq; futura,
Quæ non parva tulit,vel bello preſſa,vel acri
Adverſantum odio & ſucco loliginis atræ,
Temporis antiqui jam non reminiſcitur æſtus;
Et patrocinio potiùs ſe langvida fulcit,
Non iterum cladem aut luſus paſſura priores.
Hincq, adeò, in dubiis ſi quando rebus egebit,
Optatam ſibi quæret opem,tua,Magne,repoſcet
Arbitria, atque tuo pendebit ab ore: paventi
Tu fluctu in medio ſpes ultima, ſacraq; vaſto
Anchora in Oceano ſtabis: cùmque horrida ponto
Surget hyems, rabidæq; furent immane procellæ,
Magnanimo cum fratre animas mulcebis & undas,
Oebalidæ gemini quantum non æquora, cœlum,
Qvum nautis trepidis ſubductaq; ſidera reddunt.
Ad tua confugient tum caſtæ oracula Muſæ,
Et pendi æquali ſibi jus examine cernent,
Rixantum ſtudio procul & popularibus auris;
Ambiguæ, juſti flammas mirentur,an artis
Ingeniique priùs,conſummatumque decorem,
Quem divinus habes, non Thuſco ſanguine nato,

Non

Non alio inferior, qui conciliare Maronem
Erepti potuit lugentem incommoda agelli.
At virtus ſolâ ſe freta adſcendet in altum
Non ſummota dolo, non vano ſubruta cenſu;
Et pretium pulchris ac laus ſervabitur auſis,
Te clavum moderante, & adorea digna, nec ortus
Jactabit vanos pictosque in pariete vultus
Incedens propriis poſthac Induſtria donis,
Deſidiâ æternùm plorante hebetiq; Vacuna.
Jamq; adeò ad lucem, primiq; imitamina Phœbi,
Diſparet nocturna cohors, clarumq; recuſat
Ferre diem, & nebulæ turpes in inane recedunt
Aurorâ veniente tuâ; jam triſtis ad Orcum
Migrat Avarities Stygiis damnata tenebris,
Cumque ſuo demens præceps ruit Ambitus auro:
Nec ſeſe Impietas manifeſto credere cœlo
Audet, & egregiæ Virtuti obvertere frontem.
Tota abit, & veteres, regnum illætabile, Manes
Infelix repetit, priſco ſtringente metallo
Lumina, & antiquis jam pleno moribus orbe,
Comparibusq; tuis, vel quales nuper habebat
Indiges & cœli meliori parte locatus
Nunc pater; ante ſuos peteret quàm ſplendidus ortus
Sede illa, vitâ ſatur & mortalibus annis.
At tibi eunt comites ævo Prudentia major,
Jam numeris perfecta ſuis, jam cognita terris
Omnibus, & mixtâ comis gravitate Venuſtas,
Et Jus & Ratio & victrix Opulentia linguæ,
Communi ſervanda rei, ſeu Principis Aulæ,

Seu Patriæ fas eſt augeri commoda verbis,
Seu dixiſſe foris ſatius. Præmiſſa futuris
Dant exempla fidem firmātq; ſequentia. Vel quæ
Heroi toties cognorunt munera ſenſus, (undis,
Hæc mea, dum Muſis locus atque Aganippidos
Mœnia divitias oris cordiſq; loquentur,
Et me Pactolus rutilis non vincet arenis.
Sic ait, & liquido ſeſe amni reddit Elyſter,
Spe plenus votiq; reus. Sed Najades antris
Exiliunt, virideſq; inter nova gaudia frondes
Inſtaurant, lætamq; Tibi, Generoſe, ſenectam
Plauſibus, & ſemper felicia fata precantur.

PROPEMPTICON
Ad
D. MARTINUM GEIERUM,
THEOLOGUM
conſummatâ rerum ſacrarum notitiâ, & vitæ inculpatæ laude exemplisq; eminentiſſimum,
Quum
ab Ephoria Lipſienſi & Profeſſione Theologica Conſiſtoriique ibidem Aſſeſſura
Ad Conſilia Eccleſiaſtica ſuprema Contiones primarias Aulicas Dreſdam vocaretur.

ACADEMIÆ LIPSIENSIS
JUSSU
A. E. C. CIↃ IↃC XLV.

Cœru-

COerulei fratres, quorum ſub arundine tellus
Noſtra viret, cunctisq; effert ſe lætior oris,
Et, ſeu ponte novo, ſeu molle fluentibus undis,
Civis in auguſtam placidè dimittitur urbem,
Molda pater, tuque ô divis vicinior Albis,
Hoc terris ſervate caput, cui noſter Apollo
Junctus, & Aoniæ ſpes hæret cuncta cohortis,
Et patriæ non una ſalus: ſi juſta precamur,
Et veniam meruit pietas: nec claſſe Pelaſgâ
Magnanimum quondam rebus majoribus Hellas.
Anxia Phryxæos dimiſit Jaſona Colchos.
Vellere relligio potior. Nec parva timemus
Damna, aut venturis trepidando vilia ſeclis
Commoda præcipimus. Stat diva exterrita fato
Nuper, & antiquos nondum eluctata dolores,
Inſtaurata orbis miratur munera terris,
Nec ſe tota capit. Nec tu tamen ardua temnes,
Aut lateri jungi domini adverſabere tanti,
Ipſe tui oblitus nimium, nimiumque modeſtus.
Tempus eget, pietasque Aulæ caſtique labores
Poſcuntur, Vir ſancte, tui; fruſtraque latentem
Materna Inachiæ ſubducit Scyros Achillem.
Index ipſa ſui virtus. Nec flebile vulgi
Te deſiderium retrahat mœſtique ſuſurri.
Ille quidem tanto ſpoliatus pignore mœret,
Diſcidiumque dolet; ſed tu majora gementi
Præſidia, & veteres meliùs præſtabis amores
Eminùs, & ſpeculâ totum arbitrabere ab illâ,
Jam non triſtem abitu, non ægrè hæc alta ferentē.
Surgentem quis enim poſt triſtia frigora Phœbū
Luget,

Luget, & egelido redeuntem plorat ab Auſtro
Omnia luſtrantem & plenâ jam luce foventem?
Qualis vere novo nunc veſtit lumine terras,
Et mundo incumbens ornat ſublimior annum.
Nec te detineant lacrymæ vultusque tuorum,
Quos vel patritius ſanguis, vel pronuba junxit
Juno atq; illuſtres thalami tædæque ſuperbæ,
Vel ſociata fides: nec caſta puerpera & infans,
Ubera grata premens, vagitu pectora flectat
Impediatq; viam. Licet eſſe tenacibus illis
Et nexiſſe moras; tibi fas abrumpere nexas,
Et patriam præferre domo, moderamen amicis
Altius, humanisque Dei conſulta rogatis:
Nil horum ſpreviſſe tamen. Sic oſcula charis
Ultima diviſit ſociis, ſic ultima ſumſit,
Et precibus major dare vela per æquora juſſit,
Grande aditurus iter, natus Perſeide Tharſo.
At te celſa manent faſtigia Principis, & ſe
Urbs vetus Heroum venturo ſurrigit ultrò,
Jam molli eloquio, jam blandis tracta catenis,
In partemq; ſequax, in quam rapit aureus ille
Pangendi divina lepos oracla, ſtupenti
Dulcia non fictâ jaceres cùm ſeſama linguâ
Primum, & apum clathris hærentum mella referres.
Rumpe moras omnes, & te tibi ſubtrahe felix:
Sat Philuræ parvisque datum, quas linquis, Athenis,
Et major longè rerum tibi naſcitur ordo
Splendidiorq; ſeges. Patriâ procul alta Corinthꝰ
Sæpe

Sæpe bonis melior viſa eſt. Virtutibus arctas
Ne metas ne pone tuis. Induſtrius illîc
Formaſti teneram multâ cum laude juventam;
Hîc aliis præeſſe jubes, & ſingula juſto
Digeris arbitrio. Tradendis artibus aptum
Ludo adhibes; templis animandis voce paratum;
Pago alium aſſignas, alium dexterrimus urbi;
Et, quæ voce modò, nunc pulpita pondere com-
ples,
Ac Genio Muſis te miſces inclute noſtris.
Cedere dicundo ſed tædet jure. Quid? ipſum
Te puteal ſummum & centum moderamina po-
ſcunt
Ardua cauſarum: ſeu concilianda marito
Uxor, ſeu meruit divortia triſtia pellex:
Seu templo ſervandus honos templiq; miniſtris,
Sive alimenta ſcholis: ſive ipſa hæc debita dudum
Interverſa ſibi queritur ſolatia Stoa:
Seu minor hac priſcâ contendit luce videri,
Et rapta afflictis reddi ſua jura magiſtris.
Quicquid id eſt, tanti componi Judicis urnâ
Expetit, & promtæ quærit ſuffragia linguæ
Jam laudata reis, jam totis cognita terris.
Omnibus his major Princeps, placidiſſimus unus,
Ingentes animos venienti advertit, & Aulæ
Jungi lætatur propiùs, Natique juventæ,
Egregiâ pietate virum, qualemque dolenti
Dura modò & teneris ſubduxerat Atropos annis.
I, fatis accede tuis rebusque gerendis,
Et faciles admitte deos. Non gratior uſquam
Relli-

Relligio, aut cèlſis animis illapſa reſedit
Firmior, aut patulis ſe purior intulit oris,
Inque artus fluxit: nec, ſi te auguſta potentûm
Terret majeſtas, quicquam indulgentius ipſis,
Queîs traheris, cæloque locat clementia utrumq;.
At tua te caſtis ſequitur nunc Patria votis,
Atque animis ſimul ire parat, quo avelleris, ordo,
Perpetuò memor ille tui, laudumq; futurus,
Inque æternandis ſcripturus nomina faſtis.
Sit pietas ſit grata tibi, nec ſejuga vulgo
Gaudia diſpliceant, ſtimulisq; hortamina juſtis,
Communi donanda rei. Gaudebimus unà,
Atque hilari plauſûs animo ſociabimus ambo,
Soſpes in hanc illo eum culmine veneris urbem,
Et communis erit, quæ te ſors læta reducet.

VIRTUS FRISIA,

In Ampliſſimo funere

CATHARINÆ EINSIDELIÆ,

DN. HEINRICI, LIB. BAR. A FRIESEN, DYNASTÆ IN RöTHAU,

Conſiliarii intimi & Cancellarii, &c.

Novo penè exemplo per octo & quinquaginta annos Uxoris.

ACADEMIÆ LIPSIENSIS

juſſu ac nomine

A. E. C. cIↃ IↃc LXVII.

Hero-

HEroum lacrymas, & pectora mœſta nepo-
tum,
Quæ cœlo es,Pietas, & acerbos reſpice planctus,
Exequiasque domûs, quâ non tibi ſanctior ulla
Se dicat, & grandes materno in funere curas
Imputat,ac viduo perſolvit juſta feretro.
Æqua parat,nec te, cujus dictamine fletus
Solvimus,& patriis libamus cymbia tumbis,
Indignum molitur opus, vel ſacra pudendo
Inceſtat mœrore furens,aut Numina lædit.
Nō loquitur,quæ damna ſtupet:nec murmure cœ-
Sollicitat,quæ fata probat:dignumq; potenti(lum
Culmine, quo tenues felix ſe ſurgit in auras,
Conceſſiſſe Deo putat,arcanisque moveri
Legibus, & cenſus rigidos muſſare ſororum.
Te,veneranda,colit: palmæ tibi fronde cupreſſum
Temperat, & tacitis frangit ſuſpiria votis.
At nos verba decent, & tanto debita buſto
Munera:ferali dic carmine præfica leſſum
Calliope,& ſparſis mediam te atrata capillis
Lugentum pompis & avitis ſedibus infer,
Et tumulum venerata prius Manesque mariti
Ad CATHARAE conſiſte rogos.Non parva dolebis
Funera,nec FRISIAE diſpendia vilia gentis.
Aſpice, quàm variis ſe Virrus inclyta formis
Hîc gemat, & longos præreptos lugeat annos
Grandævumq; decus. Nec jam præſaga futuri
Tam fore multiplicem ſe corpore cernit in uno,
Tam ſibi conſtantem:laudesq; exoſa priorum
Deterit, & vultus jam non miratur avitos.

Nam

Nam quid, ait, veterum, Cœi germana, decorem,
Quid dotes mihi vana crepas moresque pudicos;
Et toties textæ repetita exordia telæ
Eluſosque procos? Nec te Lavinia, nec te
Hectoris Andromache, vel Laodamia moretur,
Fida viro, veri potior cui fabula falſo eſt.
Hæc Latias prægreſſa nurus, matresq; Pelaſgas,
Inde ubi prima gravi firmavit fœdera ſponſo,
Fœmineæ probitatis apex. Hæc Caſtore pulchro,
Hæc Polluce fuit non ficta puerpera nobis,
Heroum fœcunda parens. Nec Dyndima majòr,
Quàm Myſios, genitrice deûm Corybantiaque
æra
Fama feret: Phrygiæ nec cedet Rauraca tellus,
Principium generis, vel priſcâ laude Variſci.
Sed non illa genus, non ſtemma aut nomina jactat,
A magnis quæ traxit avis, nec ſanguine longo
Cenſeri putat eſſe decus, ſi cætera deſint.
Stemma animis, animos ſuperat virtutibus; illas
Tranſcendit pietatis honos & dedita ſacris
Relligio, pactique fides, & ſedula magnæ
Cura domûs prolisq; ſuæ. Non otia mentem,
Non oculos ſpectacla tenent: labor unus in alta
Progenie, molles creſcenti ſubdere flammas,
Et gravibus monitis laudem inſtillare priorum
Æternumque decus. CAROLUM tibi ſecula
debent,
Mater, & HEINRICUM: seriesque hoc fonte
nepotum,
Par celſo ingenio, fluxit, par fortibus auſis.

Tu

Tu generas, qui cuncta regant:tibi vendicat Aula
Conciliata ſibi Cimbrorum ſceptra domosque,
Regalesque faces: geminus tibi ſervit Apollo,
Latonæq; tuos præfert, caſtiſſima, partus,
Hac naſci ſe matre volens. O maxima rerum
Gloria! Sic viduos exegit fortiter annos,
Sic ſociata torum: non rebus dura ſecundis,
Non fracta adverſis, paritérq; ſecuta maritum,
Seu melior fortuna fuit, ſeu triſtior anxit,
Ut pulchra è Ponto per iniqua, per æqua ferentem
Hipſicratea virum: bis ſponſa, & conjuge in uno,
Bis ſocias experta faces Hymeneaque feſta
Poſt ſacra luſtra decem. Jam cultu haut mollis, & expers
Mundi, vana, tui, vitioque aſſveta juventus;
Viſa ſibi Tyrio jamdudum in veſte colore
Triſtes exuvias & non fallentia mortis
Signa videre ſuæ, primique oſtenta furoris:
Et fragile hoc velare magis, quàm comere corpus
Sveta, nec inſano populi ſe oſtendere faſtu,
Quem procul uſque habuit: modico contenta paratu,
Amplo cum poſſet per opes nitidoq; videri:
Tota teres, ne quid valeat per læve morari,
Tota ornata ſibi, nec ceruſſata marito.
Has quoq; non ſoli tenuit ſibi, quodque benigno
Contulerat cœli larga indulgentia cornu,
In commune tulit. Miſeris undare penates,
Atque intrare inopes paſſa, at remeare beatos,

Et

Et toties preſſos ad aſylum currere cives,
Bellorumq; vices & acerbam plangere ſortem,
Auxilioq; frui. Neque enim inclementia terret
Imperiumque ferox, aut fictæ gratia frontis;
Sed mite obſequium leniſq; modeſtia cunctos
Allicit, & populo ſe vendit blanda poteſtas.
At tu dum plangi ſolito hæc vehementius audis,
Cuncta nota, & memori præconia claudere verſu,
Calliope, jus faſq; puta: tumuloque recepta
Puro hæc Virtutis lamenta in marmore conde,
Et proprios ſuperadde modos: Hac jungitur urna
Non una virtute potens & moribus Uxor
Intemerata Viro: quorum ſi in pectore flammas,
Atque indeflexum potuiſſes cernere amorem,
Dicere, Oreſtillæ tumulum vidiſſe, liceret,
Ac Mauſoleo majus ſpiraſſe ſepulchrum.

PIETAS ILLUSTRIS
In funere
JOHANNIS WILHELMI
AB HARSTALL,
In Beritsgaard, &c.
SERENISSIMÆ SAXONIÆ PRINCIPIS AC DOMINÆ,
DN. MAGDALENÆ SIBYLLÆ
In Aula Altenburgica
Prætorio ac Rei equeſtri
Præfecti ſummi.
XII. KAL. APRIL. A. E. C. ClƆ IƆC LXVI.

TRI-

TRiſtes exuvias, & plenam luctibus aulam,
Et viduam rectore domum, atque orbata magiſtro
Jamdudum auguſtis æquata palatia tectis,
Et populũ, Dux Magna, queror. Tibi funera verbis
Ornare, & tacitos effari ad buſta dolores
Relligio: quæ fata probas, nec Principe dignum
Conſultis pugnare DEI, rigidasq; ſororum
Inceſtare colus lacrymis aut murmure cenſes.
Majeſtas te flere vetat, majorq; dolentum
Ingenio pietas, & cœlo intenta poteſtas
Ætthereusq; vigor. Sentis incommoda, Princeps,
Nec prodis lugendo tamen, pingiq; ſereni
Turbamenta animi peregrino carmine mavis,
Quàm pangi proprio: nutuque aliena laceſſis,
Dum tua te digno celas lamenta pudore.
Obſequimur, tumuloq; modos, animæq; paramꝰ
Illuſtri inferias & non revocanda per ævum
Tantorum atrati memoramus damna Penatum,
Amiſſumq; decus. Meritos huc præfica leſſus
Suffice, Melpomene, ſparſisq; inculta capillis,
Et lacrymis fœdata genas, qualisq; videri
Mœſta ſoles, gravium cùm luges fata virorum,
Undanti ſacris infer te ſyrmate portis,
Et capulo conſiſte tenus, quà nigra cupreſſos
Atria feralesq; vides oſtendere taxos,
Velatosq; Ducum vultus, plebisq; miniſtræ
Haut fictè Heroos imitantia pectora luctus.
Aſpice, nobilium tollit jam grande feretrum,
Et charo dudum trepidat ſub pondere cervix,

Non

Non ingrata viro. Qualis pullata Metello
Suppoſuiſſe humeros magno ſtimulata Parente
Creditur, & tanto meruiſſe in funere pubes.
Ordo omnis ſequitur: cujus quota portio proles,
Illa patri ſimilis mentemque habitumque decusque,
Horret, & atroci tundit præcordia planctu.
At prima his tantis Dux auguſtiſſima fatis
Ingemit, & tales (neq; enim licet eſſe diſertæ,
Nec tacuiſſe licet) Muſarum interprete lingua
Ad tumulum dare viſa ſonos, quos tu impigra cunctos
Excipis, & cedro mandas. Sic ergò quietos
Sollicitat fortuna lares? Sic aſtra repentè
Aurea convolvi nobis vertique procellis
Cernimus, èque oculis auferri triſtibus umbris?
Non Argo Æſonium, non cernunt æquora Tiphyn,
Nec frenum Neptunus habet. Quaſſata carina eſt,
Antennæq; gemunt fragiles, firmosque rudentes
Invida diſſolvit Lacheſis. Quò maxime Neſtor,
Quò Palinurus abis? Quæ nobis fata ferores
Portendunt ſuperi, quæ terrent omnia mentem?
Cimbrorum prælustre decus, quo vindice dudum
Noſtra domus Regum ſeſe amplis extulit aulis
Altiùs, & ſoboles ſceptris præivit eburnis
Saturni de gente virûm, dum ferrea damnat
Secula, & humanâ majus quid ſorte meretur,
Munere ſe antiquo exſolvit, terrisq; beatus
Avolat, & dominos alios meditatur & aulas,

Mens

Mens ortûs memor uſque ſui. Non illa decoro
Inſtruit ore viros noſtris ſub vocibus ultrà;
Non decreta Ducis chariq; edicta mariti
Ponderat, & prudens ſubjectis applicat oris,
Non rebus ſe ſubdit Atlas, non inclita curas
Dividit,& cunctis abſens præſentibus adſtat,
Arbitrio vacat illa ſuo,nec, ut antè,per alta
Ordine diſpenſat penetralia ſingula, ſeu fas
Heroum præeſſe epulis,ſeu digna parare
Hoſpitia, & peregrè venientibus affore turmis.
Deſerimur, dubiisq; errat malè credula in undis
Amiſſo rectore ratis,ſcopulisque propinquat,
Tranquillo gaviſa prius facilique profundo.
Quàm memini, mœſtam cum Cimbrica terra teneret,
Et flerem extinctas ſublato Principe tædas,
Grata miniſteria & facta haut difformia dictis!
Quàm,cùm me patriis,repetite Thalaſſio, terris,
Reddebas, fidei memini documenta vetuſtæ!
Vel quã,Nate probas,jam magno juncte magiſtro
Egregias animas inter genioſq; perennes,
Seu pietatis opus, ſeu plures diſcere linguas,
Gallorum Latiamq; juvat: ſeu ludus equeſtris,
Et Trojæ, quondam impubi monſtratus Julo,
Pectora non vanæ demulcet imagine pugnæ.
Differor,& lacrymis laudum eſt præſtantia major,
Et potior præcone fides: fruſtraque dolendo
Vellera Parcarum nulli flectenda laceſſo.
Ite pii Manes,& larga capeſſite cœlo,
Quò vos fata vocant, pro tantis præmia factis.

Mecum erit ille labos, ne vos oblivia terris
Avertant penitus, laudumq; inimica vetuſtas
Dente malo carpat, nigro ſuffuſa veneno.
Jamq; aliquid veſtrâ dignum pietate paramus,
Et vel in hoc ingens ſplendebit marmore Virtus.
Sic ait, & Pario ſignari ſplendida ſaxo
Facta Viri mandat, tradique nepotibus optat:
HARSTALLI hac cineres poſiti prænobilis urnâ,
Cimbrorum de gente ſati: Prudentia mentem
Finxerat, Os Peitho, Vultúmque oculosque Minerva,
Mavors ipſe manum: Geminæ præfecerat Aulæ
Dexteritas; Dominæ gratum acceptumq; potenti
Reddiderat ſpectata Fides, populoq; venuſtas
Ingenuumq; decus. Nunc totum vendicat una
Gloria, & egregium meritis tranſcribit Olympo.

JUSTI-

JUSTITIUM
In ampliſſimo funere
Jureconſultorum Optimi Maximi,
BENEDICTI CARPZOVII,
Sereniſſimis ac Potentiſſimis
Saxoniæ Electoribus,
JOHANNI GEORGIO
PRIMO ET SECUNDO
â Conſiliis ſecretioribus, Appellationum,
&
Scabinatûs Lipſienſis Senioris
Graviſſimi.
A. E. C. cIↃ IↃc L *XVI.*

JUſtitium Themidi! Sic deſignare patronis
Otia, ſic planctu miſeros excire clientes
Funera, & atratas populum ſibi poſcere pompas.
Obſequimur, mœſtiq; urnâ ſublime cadaver
Condimus, & juſtis inceſſimus aſtra querelis.
Me quoque, communi dum fervent atria leſſu,
Doctaque ferales obnubunt tempora taxi,
Non laurus, non ſerta juvant, ederæq; ſequaces
Grandibus exequiis: juvat illaudabile carmen
Spargere, & ingrato celebrare ſilentia verſu.
Non æterna tamen. Fas altius ire, polique
Non humilem conſulta ſequi, facilemq; medelam.
Jamque tacere forum, jam terna quieſcere verba,
Et ſqualere ſitu defectum voce tribunal

Cœperat, auratâ nec pondera ferre bilance,
Momento librata pari, caſtiſſima virgo.
Nulla feros animos terrebat, nulla fateri
Sontes atroci cogebat crimina vultu,
Aut pœnas conſpecta graves dictabat imago.
Cum dea ad autumni poſtes, quà vergit in Auſtrum
Signifer, & torvæ protendunt brachia chelæ,
Cuncta ſilere videns, Noſtro quis caſus honori
Obſtrepit, & poſitis abſolvit legibus orbem,
Expulſumque Nefas portis immittit apertis,
Inquit. Inexcultis iterum contemnimur aris,
Et Pyrrhæ nos ſecla vetant conſiſtere terris?
Triſte aliquid, nec vile, ſubeſt. Quis luſtra ſerena
Jam poſſeſſa novem, non ulli obnoxia culpæ,
Obturbat mihi ſacra dies, & miſſa per orbem
Undique delectis oracula devocat antris,
Non Lyciis ſpectata minus, nec ſortibus, Hammon,
Aut, Dodona, tuis. Premimur, ſeu noſtra protervos
Pertæſum eſt edicta ſequi, ſeu fata Sacerdos
Improviſa luit, Superûmq; propinquior oræ eſt;
Sive error latet, & tacitis regnamus Amyclis,
Æquorum aut major fora claudit mœſta tumultu.
Dum loquitur, petit ille polum, ſeſeq; per auras
Librat, & Heroum jam jam eſt vicinior umbris,
Mole carens, totuſque ſui, liberque laborum.
Olli caſta latus Pietas, nec ſordibus ullis
Aut fuco incruſtata, tegit, ſoloq; cruore,
Quem Deus immenſum moriens diviſit in orbẽ,
Carbaſeos perfuſa ſinus formoſaq; membra,

Qua meat, ambroſium latè diffundit odorem.
Ponè ſubit, nec tarda, manu quæ ſparſerat aurum,
Nec tenebris damnârat opes; ſed largior imbre
Sveverat innumeras hominum ditare catervas,
Et minui tamen haut viſa Indulgentia cenſu.
Nec procul hic albo ſequitur circundata panno
Intemerata Fides, verique immota, nec ullis
Aularum illecebris auriq; cupidiue capta
Ingenio ſimilem factisque oſtentat alumnum,
Conciliatque choris. Cui ſe Prudentia, formâ
Altior, & longis jungit venerabilis annis,
Æqualisque ſeni: quæque olim gnara futuri
Inſtauranda polo non vano dixerat ore,
Innumeris monſtrat propior jam ſecula ſignis;
Ipſa novo dici ſe gaudens nomine, poſtquam
Et vacuas ſcelerum ſedes, ſemotaque regna
Fortunæ imperiis, nullique obnoxia fato
Invenit, & dubiis immunem caſibus æthram
Venturique metu, quæ ſolers caverat ante.
Agmen agit reliqvus (nam plurimus iverat illo
Huc ſimul, & ſcelerum plenas effugerat urbes)
Virtutum chorus, &, quà ſe fert ille, ſecutus
Liberiore frui geſtit dein ætheris aura.
Sera venit, neque feſſa tamen, Conſtantia, &, ipſo
Dum potitur ſecura loco, veſtigia firmat,
Quà datur & ſolidũ eſt, geminisq; iñixa columnis
Cum ſene ſollicitos convertit in omnia vultus,
Nec ſeſe capit, aut rebus tot ſufficit una.
Tum medium complexa virum ſplendore Juventꝰ
Afflat læta novo, ſolioq; reponit in alto,

Flos cœli, ſenioq́; olim delecta fugando,
Cernentem jam cuncta DEI, jurique vacantem
Heroas animas inter ſanctumq; Senatum:
Non quali mos antè fuit; ſed quale beatis
Lite procul turbisq; atque alta in pace catervis
Diſcendum Deus ipſe dedit cœloq; colendum.
At dea jamdudum tacitè gaviſa recepto
Damnari voti nunc demum ſentit, & illum
(Namque eadem hæc puero dederat promiſſa, ſuasque
Blanda ſalutiferas alacri perſvaſerat artes)
Luce coruſcantem plenâ videt, aurea qualis
Luna micat, juncto dum cornua contrahit orbe,
Aut qualis reliquos præit pulcherrimus ignes
Heſperus, & radiis venienti certat Eoo:
Turbatisque ſacris jam non inimica minorum
Ordinat, & fractis opponit maſcula rebus
Pectora Carpzoviûm, meritis confiſa priorum,
Et generis jam certa ſui ſobolisq́; renatæ.
Nec minor exuvias ſervandi cura: ſub alto
Quas poſitas ſaxo, quà ſummo in parjete tollunt
Se monumenta Viri, ſignari hoc carmine mandat;
Hoc habuit mortale ſui. Quæ patria ſenſit
Commoda, quæ Princeps, quæ non indoctior Orbis,
Quæ benefacta miſer, ſibi Gloria vendicat. At Mês,
Exuviis jungenda iterum, cœlo alta triumfat,
Atque infrà poſitos terrarum deſpicit æſtus,
Tranquilla, & nullis unquam terrenda periclis.

PAREN-

PARENTALIA
IN FUNERE
THEOLOGI
Doctrinâ pariter & vitâ ſpectatiſſimi,
JACOBI VVELLERI
à Molſdorff, Hæreditarii in Karſdorff,
Electori Saxoniæ à Conſiliis Eccleſiaſticis & Concionibus Aulicis primariis
Ad d. XVII. Jul. A. E. C. cI) Ioc LXIV.
Facult. Philoſophicæ nomine indicta.

WELLERO exequias! Ea vox feralis ad aures
Nunc venit, & ſævo tangit præcordia luctu,
Decretis animata Ducum. Nec juſtior ulla
Traxit in obſequium cives, & flebile mentis
Urſit opus, nec ſe mœſtæ penetrantior urbi
Intulit, aut humiles percuſſit fulmine terras,
Dum cœlo intonuit. Non hæc contagia vulgi:
Non populi, quanquam ipſa movent, incendia mentem
Percellunt; major lugentes impulit horror,
Principis abripimur lacrymis. Ignoſcite Divi,
Si ſceptris haut æqua & majeſtate verendâ
Digna parùm loquimur. Pietas in Rege probatur
Cognatis incenſa rogis: neque nomina ſpernunt
Humanas auguſta vices, hominemq; potentum
Mentiri mens celſa valet. Deflere ſuorum

Funera diis geniti potuere, & fortis Achilles,
Et pius Æneas, & qui fumantia vidit
Pergama tot populis Priamus regnisq; ſuperbus.
His abrepta modis, querulâ dum voce ſorores,
Euſebie antè alias, nullo inſtauranda labore
Damna gemunt, SOPHIE mediam ſe jungit & omnes
Non fictâ pietate præit juſtoq; dolore.
Dumq; illæ infandum ſua quævis munera lugent,
Et plorandarum certant farragine rerum,
Hæc pallam funeſta trahens, Nō vincimur, inquit,
Raptorum numeris; utq; his ſe condidit olim
Exuviis Pietas & nullo infecta veneno
Relligio, nullis errorum obnupta tenebris:
Priſtina ſic artes migrare habitacula noſtræ
Jam viſæ, atq; alias extorres tendere ſedes.
Nam quæ humanarum pectus Sapientia rerum,
Os quanta eloquio implevit Facundia! tigres
Orphea & agreſtes nihil eſt Amphiona fœdo
Avertiſſe homines jactet quòd Græcia cultu,
Aut lapides moviſſe ſono: torrentior altis
Mentibus incubuit, detruſaq; pectora Averno
Promtius Eurydice cœleſtibus intulit oris.
Et quid ad hos poſtes examina ſtridula cerno
Hærere, & raucos miſcere interrita bombos?
Mella labris ſuxiſſe putes, nuncq; indiga paſſim
Priſco flore thymi redolentem quærere Hymettum,
Et, non invento, teſtari murmure luctum:
Qualem fortè ſolent, cum corpora luce carentum
Exportant rectis & triſtia funera ducunt.
Singula quid memorem? Quicquid tenuere Pelaſgi,
Quic-

Quicquid Arabs noſtri, vel gens ſacra condidit
Aut clauſum arcanis tellus Oenotria libris (Hebri,
Abdidit, ingenio vaſto complexus id omne
In commune bonum ſermone haut contulit uno.
Nec teneros animos puduit formare juventæ,
Atque addiſcendæ metas præſcribere linguæ,
Quam vulgus contemnit iners. Solennia peccat,
Quisquis in excelſa poſitus ſtatione minora
Deſpicit, & rerum curâ non tangitur ullâ,
Quas ætas gerit illa recens, molemque ſuperbam
Extruit, & bibulæ ruituram imponit arenæ.
Cura illi hæc princeps. Nec magnis ſegnior auſis
Incubuit, ſacræq; rei præfectus habenis
Prudenti arbitrio momenta graviſſima ſemper
Omnia diſpoſuit, vitâ ſpectabilis ipsâ
Exemploq; gregi lucendo, & regula morum.
Jam fervor quantus cupidum, quàm maſcula bilis
Res hominum cauſamq; Dei ſtimulavit agentem,
Quàm juvit fictas Sirenum elidere voces,
Atque armis verum falſo diſcernere noſtris:
In chaos antiqvum confuſis finibus ire
Cum ſacra Relligio, blando corrupta veneno,
Vellet, & occultos confundere fratribus hoſtes!
Errori præcluſa via eſt, ſeſeque tuendam
Sola, ſui ſimilis rurſus, non illita fuco,
Non fratrum perverſa dolis, aut ſubruta technis
Diva dedit nobis, puraq; in luce refulſit. re,)
Sed quid opus vocum ſimulacra hæc prima refer-
Et laudum non tota loqui magmenta ſacrarum?
Ipſam audire juvet! Cras ſacris ritè peractis

Tertia cum occaſum Solem comitabitur Hora,
Et ſeſe hunc alium tenebris merſiſſe dolebit,
Quæ dicta à Ducibus Muſis Collegia ſervant,
Omnia Thomasio ſimilis, ſua pulpita ſcandet,
Liberaque, ut par eſt, numeris ſermone ſoluto
Diffluet in fletus, & gratæ mentis acerram
Accendet devota Viro. Vos ordine Cives
Ite, & in heroos veſtigia ponite greſſus
Principis, utque præit, pullatæ accedite pompæ,
Dicendasque deâ WELLERI agnoſcite laudes,
Et vale ter dicto lacrymis aſpergite tumbam.
Addet ſe vobis, ſpes eſt non vana, choragus,
Cujus magnifico moderantur publica nutu
Nunc & res humeris Academica tota recumbit:
Fors etiam, cujus res tota urbana recumbit
Nunc humeris, vobis ſe Conſul triſtior addet,
Nec plus Euſebiæ, clades ambabus ut æqua eſt,
Quàm noſtræ Sophiæ debere fatebitur orbæ,
Communemque colet cum magno Principe luctum.
Nempe ut, flammiferis cum vatem auferret Olympus
Curribus, aut ſocio viduaret ſacra magiſtro
Agmina Parca ferox, Patres rexque ipſe dolenter
Ingemuit, gentisque Viros pars optima luxit,
Et mœrore gravi currum inclamavit equosque.

EPI-

EPICEDIUM JACOBI MEZNERI IN MARCK-KLEBERG, CONSULIS LIPSIENSIS.

D. XV. Sept. A. C. cIↄ Iↄc LVI.

COnſule læta novo faſcesq; amplexa recentes
Nuper, & ad veteres iterum promtiſſima nutus
Curia, cur taxum tiliis, laurumq; cupreſſo
Mutas, & trepidæ ferratis poſtibus urbi
Flebile juſtitium indicis ſævamque quietem,
Altaque ferali miſces prætoria planctu?
Stant cives, damnumque gemunt, poſitasque curules
Tam ſubitò vacuas mirantur Conſule, ſeque
Orbos præſidio deſolatosque queruntur.
Ac velut egregio navis viduata magiſtro
Nutat, & inſano ventorum expoſta ſurori
Incerto rapitur curſu, fluctuque vacillat,
Non Helicen, non illa tuos, Cynoſura, ſecuta
Ductus, in medio perturbatiſſima ponto:
Sic rectoris egens nunc huc nunc fluctuat illuc
Anxia, & iratos metuit Res publica Divos,
Quos immaturi viſa eſt inducere leti
Præcipitata dies, improviſæque rigentis
Exequiæ & longe s tumulꝰ damnandus in annos.
Ipſa quoque atratum fatis exterrita tantis
Sumere, & inducto mallent mutare colorem

Templa, ac pullato ſe nobis ſiſtere vultu
Utraque, Lipſiacis erepto Antiſtite terris,
Quàm cultu ſplendere novo, phalerisq; videri.
Atque etiam tanti luctus contagia ſentit
Mœſta Themis, Themidisq; ſacro vicinus Apollo,
Muſarumq; chorus. Quis enim non Juris & æqui
Conſultum, Aoniis & merſum fontibus olim
Audiit ingenuas pectus coluiſſe per artes?
Aut quem ſumma latet rerum experientia & uſus
Regnandique aliis vix cuiquam imitanda facultas,
Et mixtâ gravitate Venus Svadæque medulla?
Nec minus in lacrimas geminus ſe Ludus acerbas
Solvit, & ingentem deplorat uterq; ruinam:
Alter & extremo teſtatur vulnera cantu,
Et lento ad tumulum præcedit funera greſſu,
Pauper, & haut alio meritis par munere tantis.
At tota atroci ſeſe infantaria fletu
Mergit, & aſſiduo cœlum clamore fatigat,
Dum vocat amiſſum decus & ſua gaudia poſcit,
Acrior, in ſobolem cum flectit flumina & ædes
Jam domino expertes devaſtatosque penates.
Obruimur lacrymis, nec te, domus alta, dolentem
Amplius, aut triſtes habitus miramur amantis.
Communis dolor eſt, qui nos ſæviſſimus urget:
Meque adeò in partem rapit, atq; hæc ſola profari
Mœrentem nunc verba ſinit, cœlumq; precari,
Avertiſſe velit clades, quas atra minatur
A tergo Nemeſis, morsque hæc triſtiſſima ſignat
Non parvi præſaga mali. Serva, oro, columnas,
Quas ſtantes, Pater alme, vides, lapſamq; benigno
In-

Inſtaura arbitrio, nec chara averſus ab urbe
Juſtitiam minui, vel ſani corporis uſum,
Vel Pacis permitte decus. Sic Curia luctum
Ponet, & alterno tibi ſerviet utraque honore,
Utraque concordi inſignis faſtigia nido.

EPICEDIUM MAGDALENÆ,

AMPL. V.

CH. FR. FRANCKENSTEINI P.P. UXORIS.

VI. IDUS April. A. C. cIɔ Iɔc LIX.

LOnga nimis dulces gratarum oblivia rerum
Pierides, & lenta nimis tormenta fatigant.
Tandem funeſtas ederis ſecernere taxos,
Et trepidas liceat rurſus contingere laurus,
Juſtitiumq; ſacris & mœſta ſilentia nervis
Demere, & antiquam votis impellere Cirrham:
Quando nec inſano flectuntur Fata dolore,
Nec lacrymoſa gravi profecit Præfica quæſtu,
Conſilio ſervante fidem legemq; ſeveram.
At non, præreptâ turbatum conjuge amicum
Dum ſolor, gemitus lamentaq; triſtia damno,
Aut lacrimas inhibere paro. Fugientia ripas
Flumina & indomitos citius frenaveris ignes,
Quàm miſeros lugere vetes & fletibus obſtes.
Flere juvet, non hoc agimus, non figere legem
Planctibus, aut juſto finem poſuiſſe dolori
Mens ſedet. Incendit luctum, quicunq; recentem
Turbat, & inviſo ſe præſtat carmine vatem.
Fas aliquà tetigiſſe tuas, caſtiſſima, laudes

Et non ingrato ſtrepuiſſe in funere verſu.
Quanquam jam pridem tantarum copia rerum
Diſtrahit, & varias in partes pectora verſat,
Sufficiant humeri, meritiſq; hæc vena canendis.
Atque aliæ proavis memorentur munere formæ,
Quæ morum caruere bonis, vanaq; potitæ
Laude, egeant vera. Tibi quanquam & fama vetuſtis
Splendida imaginibꝰ lausque intemerata priorũ
Conciliet non parva decus, neq; nulla modeſtam
Exornet faciem ſpecies corpusque figura,
Ex te major honos, thalami ſervaſſe pudorem,
Atque illibato flagraſſe unius amore
Perpetuaque fide. Non vos ad devia præceps
Error, & infauſtæ pepulere in jurgia lites
Auſpicio meliore ſatos. Utque aureus uno
Ex puncto Erigones naſcentes vidit Apollo:
Junxit inabrupto ſic vos Concordia nexu,
Et junctos tenuit; ſociatam palmite vitem
Ceu patula Ulmus amat, vel Bacchi lenta racemis
Hæret & amplexu ſe firmat Palladis arbor.
Quæ tibi cura domus, quantꝰ pro conjuge pallor,
Abſentem dum mœſta doles? quàm læta receptũ
Quàm ſtudioſa foves? Reducem non major Ulyſſem
Lætitia Icaridi tot lapſis reddidit annis:
Nec potiore dapes ſtudio parat Appula conjux
Adventu gaviſa viri, vel Sole Sabino
Uſta toros ſternit, ſtrepitumque exſpectat aratri.
Parva loquor: per teſqua comes, per inhoſpita Tauri
Cul-

Culmina & Heſperiæ vada caligantia Thules,
Per Syrtes ires & quæ loca lambit Hydaſpes.
Jamque ibas, cum Fata lares migrare paternos,
Atque inita auſpiciis Hymenæia pacta ſecundis
Svaderent, aliosque hominum cognoſcere mores,
Urbem aliam, comitata virum, charosque propinquos
Linquens & fratres dulcemq; ante omnia matrē:
Atque eadem, cum ſors mutaret, læta redibas,
Nil metuens jam triſte animo vultumq; ſerenans.
Quanta ſed in natum pietas, cum parvulus aula
Luderet, & matrem vultu patremque referret
Spes generis penè una ſui! quam ſpiſſus in illum
Sollicitusque favor, patruæ ne verbera linguæ
Fors aliquid ruerent generoſi pectoris æſtu;
Effrenem aut faceret nimia indulgentia mentem.
Sæpè metu puerum, ſed munere ſæpius & re
Blandâ aliquâ retines, & verbis mollia flectens
Pectora, dum vinci ſimulas, belliſſima vincis.
Grata Aviæ multum ſpectacula, grata parenti,
Ni qua parte monet ratio adduxiſſe lupatum
Prudenti arbitrio & muliebres vertere luſus.
Sic dea blanditiis tenerum permulcet alumnum
Cœrula, ſic Chiron aliis accommodat auſis,
Et facilem nimium terrendo emendat amorem.
Ambas illa quidem complexa ardebat, & ambas
Fortuna illuſtri natas amplaque locârat
Conditione viris ac formæ laude celebres;
Sed merito pietas in te proclivior ibat,
Majorem natu & reliquarum à morte relictam,

Et

Et quoties, viduos ut ſors premit aſpera lectos,
Triſtior, aut ægro tolerabat corpore morbos,
Aut curas animo, verbis tu ſola gementem
Solari & molli poteras ſermone mederi;
Alloquiis ſalva illa tuis. Quam priſca tenere
Oſtendit toties morum præcepta, domiq;
Aut verſare colum manibus, tenuiq; Minerva
Texere opus, vigiles aut vertere ad omnia ſenſus,
Et menſis epulas & maturanda culinæ
Sufficere; aut ſacris animum oblectare legendis.
Nec te vana juvant & quæ intrāt carmina lumbos,
Hiſtoriæq; leves aut Feſcennina papyrus.
Nobiliora tenent animos exempla pudicos,
Et quæ ſancta probent oracula. Sara potenti
Obſequio devota viro, pulcherrima conjux,
Lydiaq; oſtrina quondam celeberrima merce,
Plena deo mulier; vel quæ connixa dolorem
Indidit infanti & vitam exhalavit in auras.
Talia facta libens nec tu virtute minore,
Nec fato meliore legis. Jam pondere venter
Turgere & pulchrè plenum ſe oſtendere rurſus
Jampridem cupidæ partu exhilare maritum,
Et fortem gemina te matrem prole probare.
Ille timere tibi, & veteris meminiſſe tumoris,
Et grave neſcio quid ſibi præſagire videndo.
Anxietas heu quanta viri, quam ſæpè medullis
Erumpit gemitus, quoties, dùm priſca recurrunt
Damna puerperii atq; infauſti tempora partus,
Furtim rore genas lavat, & premit ora! Be-
nigni

Quan-

Quanquam omne arbitrio committit Numinis, & ſe
Spemque metumque inter meliori robore fulcit:
Dum tu, chara, paris, vacuasq; emiſſus in auras
Tollitur & matrem implorat vagitibus infans.
Ille quidem ſalvus, caſtæq; per omnia vultum
Effigiemq; gerens; ſed tu defecta labore,
Et nixu valido laſſata parumque ſecundo
Ultima conaris. Jam adſtanti flebile matri
Ore vale dicis, charoque extrema marito;
Jam verbo ſaturata DEI, jam nectaris hauſtu
Ebria ad æthereas tendis generoſa cohortes
Et fragiles pertæſa domos cœleſtia anhelas
Limina, luctantemq; animam placidiſſima reddis.
Salve ſancta parens, caſtasq; heroidas inter
Queis fato ſimili, vitæ poſt munera proli
Impenſa & rigidos Lucinæ acresq; dolores
Contigit oppetere, æternas age læta choreas,
Atque immortali lauru decerpe corollas.
Nulla dies ingrata tuas aut invida laudes
Triſtibus involvet tenebris cogetq; ſileri:
Et tibi jam meritos, quanquam externatus, honores
Inferiasque parat, lacrymisq; fidelibus oſſa
Perfuſa in patria condit mœſtiſſimus urna,
Magnum aliquid meditans ſolidoque perennius ære,
Si qua Fata velint, & vincens marmora Conjux,
Filiolo interea confiſus, imagine parva,
Et nata in parva veterem ſolatus amorem.

Gens

Gens Moſtelia renata

In

VIRO

CLARISSIMO ATQ. JURIS-CONSULTISSIMO

THEODORO MOSTELIO

LIPSIENSI,

Antiquisſimæ nobilisſimæque familiæ ſuæ columine atque inſtauratore unico

Cùm publicè

UTRIUSQ. JURIS DOCTOR

renunciaretur.

Pridie Kal. April. A. E. cIↃ IↃc LIII.

JAm novus exoritur ſacris ex oſſibus ultor
Stirpis Moſteliæ, gentemque inſtaurat avitam
Virtute, ingenio, factisque illuſtribus Urbi,
Heu nimium tanti deſertæ ſanguinis Urbi.
Jam redeunt veteres, ingentia nomina, Patres,
Prælatosq; ſibi faſces poſitumq; curule
Eminus oſtentant: ſuaq; hæc emortua dudum
In magno gaudent decora alta revîxe nepote.
Stat Themis, & priſcos iterum diſpenſat honores,
Virgineos accincta ſinus, & maſcula vultû:
Carpzovio referens de Mecœnate decorem;
Quamque olim patribus, nunc donat habere minori,
Principis arbitrio, cui nulla hac gratior unquam

Gens

Gens fuit, incolumis dum res & vita ſinebant,
Fulgentem trabeam, ſaturatam murice veſtem:
Pileoliq; caput roſeâ ſymplegade cingit,
Atque auro digitos ornat gemmâq; decorâ,
Mercedem aſſidui molimentumq; laboris.
At Fortuna viro tantisq; benignior auſis
Surgenti generi veteres aſpirat amores,
Non jam innixa globo, nec, ut antè, fugacior
Euro.
Lubrica ſed ſolido firmans veſtigia greſſu,
Ceu ſacra Junonis portet, dotesq; ſuperbas,
Diſſimilisque ſui eſt. Per damna erectior ipſa
Hanc Spes, atque albo panno velata ſeqvuntur
Rara Fides, dominamque rogant, ea propria faxit
Inſtauratori dona oſtenſumq; favorem,
Et natis natorum, & qui naſcentur ab illis
Æternâ ſerie. Sed Patria munere tanto
Auctior, Aonio dum fervere compita plauſu,
Lætitiaq; pari doctorum incedere pompas
Conſpicit, inſolito devota aſſurgit honori,
Et ſibi de tali multum promittit alumno,
Non magis æqua patri, nec Avo magis æqua po-
tenti.
Macte bonis animi, macte hac inſignis abollâ,
Quam liquido auſpicio capis exemploque prio-
rum,
Acciſæ ſpes una domûs, ſpes una renatæ,
Et longum ingenii florens morumq; juventâ
Aut æqua, aut celebres meritis tranſcende pa-
rentes,

Præ-

Præſidioq; veni patriæ non aſper egenti
Conſilio atque operâ. Sic per te Curia ſurgat,
Cognatis regnata tuis, regnata parenti:
Ardua ſic propriæ revireſcat gloria gentis,
Uſque tuâ major. Sic celſæ Saxonis aulæ
Acceptus magis atque magis, doctoq; Lycéo
Atque urbi patriæ; ſummis ſic gratus & imis
Neſtoreæ metam precor egrediare ſenectæ.

AGON DEARUM
De
VIRO
Edecumatâ eruditione & ſcientiæ rerum cùm humanarum tùm divinarum laudè longè
CLARISSIMO;
Jure verò tàm Civili, quàm Canonico
CONSULTISSIMO
CASPARE ZIEGLERO
LIPSIENSI,
Summos in utroque Jure Honores in Academiâ Jenenſi
III. Eid. Mart. M.DC.LV.
capeſſente.

Per-

Perdoluit tandem Livor, rixæq; dearum
Detonuere graves: vicit ſententia caſtæ
Arbitriumque deæ, Juſtum cui paret & Æ-
qvum,
Atq; albo velata Fides mundiſſima panno.
Namq; diu ancipiti lis hæc agitata ſub urna,
Quæ caput egregium Tyrio præcingeret oſtro,
Et juvenem ante alias proprium ſibi ſola vocaret.
Panſophie faceret, cujus belliſſimus infans,
Artibus & Svada famulantibus, altus in ulnis:
An quæ majori pranſum ſervabat abollæ
Jam dudum Euſebie, debellandisq; maniplis
Hæreticæ gentis totum, ſpe plena, dicabat?
An Themidos foret ille, cui poſtrema juventæ
Serviit, & magnos pars ſeſe erexit in auſus:
Dividiæ ingentes, & quas non ima dearum
Aggravat Hiſtorie, Comitis dum deſtinat aulæ
Oldenburgiaci, monumentaq; condere mandat,
Regis in Anglorum vires experta ſecuri.
Nec ſic æthereas ſtudia in contraria mentes
Projectum rapuit pomum, nec major Homerum
Urbibus ambegit proprium contentio vatem.
Suſtulit hanc Phrygia non vilis paſtor ab Ida,
Nec vitæ curſum malè faſtidita priorem
Expers conſilii Ratio, & temeraria virtus;
Ipſe Deus, Deus ipſe, animum qui perpulit olim
Occultis ſtimulis nec inani mentis orexi,
Et patris, ignaro patre, per veſtigia ferri
Juſſit, in Ennomics viſus deſcendere partes,
Et juvenem totum divæ tranſcribere ſacris.

Occu-

Occupat Euſebie, &, quis te mihi ſurpuit, inquit,
Pars ó natorum non inficianda meorum,
Quis dare retrorſum currentem vela coëgit?
Spesne omnis de te tenues evaſit in auras
Certa olim, & magnis dudum firmata periclis?
Aut quid ego ſacras nequicquam animare cathedras
Pulpitaq; ætheree doctrinæ aſpergere rore,
Et totos verſare dies te lubrice vidi
Pacta Dei, & rerum ſcita evolviſſe mearum:
Ad pluteos etiam calamo prorumpere ſumpto,
Atque orbi ingenium ſcribendo prodere & artem,
Non mirata parum & penitis gaviſa medullis?
Nunc Baldi teritur dubiarumque orbita legum,
Quas Codex digeſtus habet, vetereſque tabellæ
Pontificum longa ſerie. Nullumne laboris
Exacti pretium? ſic in fumum omnia abiſſe,
Nec poſſe officiis mercedem reddere tantis?
Sic ait, & poſita vix ſeſe incenſa tiarâ
Abſtinet ornando capiti meritiſque tuendis.
Stat contra Ennomie, & fato confiſa Tonantis
Nemo te latere avellet, chariſſime, noſtro
Nemo, inquit, mentem firmo mihi fœdere junctã
Transverſum abripiet, nec tantum avertet honorẽ
Quem tibi læta paro. Nec te, ſoror optima, alumni
Pœniteat veteriſque operæ: feret illa cupitos
Juncta meæ fructus, & vaſto proderit orbi.
Noſti ipſa, & puteal mihi teſtis ut ardua ſæpè
Optatum nequeant tetigiſſe negotia finem,

Ni

Ni ſociam præſtemus opem: tantoq; Quirino
Pompilius potior, ſacris quòd ritibus urbem
Fundarit, Curibus parvis & paupere terra
Miſſus in imperium. Nec me pater ipſe ſupremus
Tecum aſſeſtricem voluit, ſanctiſſima, fruſtrà,
Et præeſſe ſimul Sic inquit, & alta repente,
Qua valle ex humili vacuas ſe ſurgit in auras
Jena, laboriferis ſedes gratiſſima Muſis,
Pandere templa jubet, capitique imponit honorem,
Cæſar avite, tuum, Patrum ſpectante Senatu
Et populo plaudente, nec indignante ſorore
Amplius, aut tanti famam inſectante decoris.
Quanquam Panſophie ſua luget fata, doletq;
Judicio lapſam Strumam impoſuiſſe curuli.
Et tamen hinc aliquid laudis ſibi poſcit, ut illæ,
Seque manum primam moli admoviſſe locandæ
Dictitat, atque operi lapidem poſuiſſe futuro:
Nec minus ad ſocium juvenis conſpirat amorem,
Segnior aut reliquis famæ juvat incrementum
Officioſa, alacris, communique apta ſaluti.
Quæ poſtquam fluvius vicino excitus ab antro
Audiit, & lites ſopitas eſſe Dearum
Agnovit propiùs, caput extulit, &, mihi ſalve
Sanctarum, dixit, Charitum æmula triga ſororum,
Seu plures vos una fides, mens unaque junxit.
Sic operam poſuiſſe decet, ſic vertice in uno
Ornando ſociaſſe manus, mœſtisque paraſſe
Præſidium portumq; reis, ſeu dicere cauſam

Judi-

Judicis ante oculos fas eſt rigidumq; tribunal,
Seu ſacro trepidaſſe foro. Sic principis aulæ
Conſilium, rebuſque ſalus non vana paratur:
Sic urbi ſervatur honos, nec tartara cœlo
Triconúm inſano miſcentur murmure. Sed vos
Sæpius ad noſtras hæc munera mittite ripas,
Et cura ſimili mundum inſtaurate labantem,
Haud fruſtrà laturæ operam ſtudiumque fidele.
Senſit & hæc, patriæ qui lambit mœnia, Ely-
ſter
Eminùs, & populi incenſus rumore ſecundo,
Quanquam turgidior ſolito infenſusq; videri
Ob ſibi præreptos decorando in cive labores,
Sala, tibi poterat primùm, ter quippe quaterque
Altius aſſurgens & vicina omnia inundans
Mitior extremò tamen, & ſeſe aggere con-
dens
In tacito gaudet gremio, lætusque dearum
Nil humile aut parvum de tanto ſperat agone.

TRO

TROPÆUM.
PIETATI. ET. CONSTANTIÆ.
ELIÆ. SIGISMUNDI.
REINHARDI.
QVUM. THEOLOGIÆ.
DOCTOR. LIPSIÆ.
renunciaretur.
ERECTUM.
nomine.
PAULI. VVAGNERI.
JCTI. ET. CONSULIS.
COMMENSALIUM.

Anno cIↄ Iↄc LXVI.

COntinuat cœli clementia ſumma favorem,
Et feſtos iterum inſtaurat placidiſſima honores.
Ordine vota meant; nec dum eluctata Charontis
Otia, ſacra Sophis ſuccedit laurea ſertis.
Omnia quis memoret? Vix uno ſiſtere tractu
Fas, atque unius nobis celebrare tropæa.
Ceſſerat invidiæ charasque reliquerat oras
Vir pietatis amans, & ſervantiſſimus æqui,
Eloquioque potens, & multâ nobilis arte.
Jamque alias tendens exſul generoſus in urbes
Pectore conſtanti non mollia fata ferebat,
Confiſus meliora ſequi, ſine crimine vita

Queis acta, & nulli doctrina obnoxia culpæ.
Suſcipit hunc Philure promtisque amplectitur ulnis,
Et myſtâ vacuæ, ſic ſors tulit, admovet aræ
Umboniq; ſacro, non arbitra vana potentis
Ingenio meritisq; viri famâque celebris.
Ille regit dictis animos, & temperat acri
Blanditias gravitate, & mulſis aſpera miſcet,
Non fallax, oracla DEI, non improbus augur,
Et verbi virtute valens. Deſcendit in alta
Hyblæis vox mixta favis, dulciq; ſevero,
Pectora, & æthereâ nunc implet langvida flammâ;
Nunc averſa Deo cœleſti fulmine terret
Conciliatq; polo. Sic ambitione remotus,
Et tituli ſecurus, & altâ indagine liber
Nominis & famæ, dum dividit otia rebus,
Non auram populi vanosque ſecutus honores.
Unum agit hoc ſolumque ſupremis charus & imis.
At pia jamdudum EUSEBIE ſpeculata laborem,
Pugnatasque acies, debellatamq; Megæram,
Orco Hecateq; ſatam, quæ tum ſub imagine ficta
Fucataq; viros ſpecie fallebat inertes,
Impavidumque animum, Nulla ergò his præmia factis
Noſtra ſuper, nulli virtutibus, infit, honores
Aut merces reliqua eſt? Veteri deſcivimus illo
Munere? præclaris & langvet gratia rebus?
Fruſtrà an Thariades Chaldæis exiit agris,
Et Babylone cohors verbo obſequioſa Tonantis

Nilia-

Niliacæq; plagis terræ & Memphitidos oris?
Nec, ſi nulla animum ſtimulat vexatq; libido,
Ipſaq; grande ſibi pretium pulcherrima Virtus,
Non opis externæ ſitiens, non indiga famæ,
Et factis animoſa ſuis, immotaq; cunctis
Caſibus ex altâ mortalia deſpicit arce,
Digna tot egregiis non ſurgat gloria rebus,
Et vel in invitum meriti cumulentur honores?
Invenit illa bonos non accerſita, nec ullis
Se lenociniis virtutibus applicat ultrò,
Veſtigatque vias. Sic faſces rure profectus
Lætanti retulit toties apparitor urbi,
Grandis & à curvo venit Dictator aratro,
Sub juga vicinum miſſurus fortiter agmen,
Ulturusq; ſuum, Volſcis jam major & Æquis.
Non, generoſe, lates, nec te tua deſeret unquam,
Aut non inveniet ſublimi gloria curru,
Inventumve vehet, quà Sol utrumq; recurrens
Aſpicit Oceanum, & verbi ſacer occupat orbem
Percellitque fragor. Dant clara incendia lucem,
Indicioque ſuo ſe prodit ſtridulus ipſe,
Hoc magis aſtra petens, quò ſtringitur arctiùs, ignis.
Quòque magis premitur, magis hoc violentior auras
Pulſat, & impoſito vires à pondere ſumit
Nobilis, & victrix, & cedere neſcia palma.
Vel mea, quæ feſto nunc fervent Orgia plauſu,
Grata operis. Vir ſancte, tuis quàm nulla laborum
Indonata ſinent momenta hoc cardine rerum.

Et Muſæ violas ſpargent, capitiq; tiaram
Imponent, trabeamque humeris mitiſſima circum
Numina forte dabunt, cathedræque utrique parabunt.
Nos quercum ſtatuiſſe ſatis, memoresq; priorum
Fata viri monumento aliquo vitamque notaſſe,
Dum liceat plenis in laudes currere velis,
Atque uni (neque enim fas nunc eſt) ritè vacare.
Sic ait, & quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, Cretenſiaq; induit arma,
Perfidiæ levis exuvias (tibi magne tropæum
REINHARDE, & veteris ſimulacra haut irrita pugnæ
Fortunæque gravis) minitantes vertice criſtas
Aptat, & elatam ſignantia tegmina mentem:
Tela manus ſed trunca gerit, clypeumq; ſiniſtra;
Sed non tuta ſatis, nec firma hoc cernitur ære.
Thoracem lorica tegit perfoſſa ſagittis
Millibus: è collo, ſed hebes, ſe porrigit enſis,
Et vanos in fortem animum denunciat ictus.
Tum ſocios (nam quinq; deam geminâ arte valentes,
Geſtantesq; pari violacea vellera cinctu,
Circumſtant) ſic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta uno eſt: timor omnis abeſto,
Quod reliqvum eſt: Hæc ſunt ſpolia, & de gente ſuperba
Primitiæ, manibusq; viri vir Creticus hic eſt.
At nos, queis licuit dulces audiſſe loquelas
Sæpius, atq; unâ tecum conſidere menſâ,
Et Genio ingenioq; frui cum Conſule, laudes

Suſpi-

Suſpicimus, Vir Magne, tuas, & læta tropæa
Tollimus, exiguo licet iſthoc carmine, in auras.
Et grati memoresq; ſacro libamus honori.

VINDICIÆ MAGISTRI.

De

Licentiâ ſupremos in Theologiâ aſſumendi honores collatâ

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE EXCELLENTISSIMO

THOMÆ STEGERO,

Ad D. Thomæ Eccleſiaſtæ,
olim diſcipulo.
Anno 1668.

ASſero te, Stegere, mihi. Sic dicere quondam
Me lætum memini, cum primas laurea baccas
Ferret, & ad Sophiæ cinctum te duceret ædes,
Fontibus Aoniis madidum, pulchreque paratum
Artibus, & gentis non unius ore loquentem.
Quid dicam, frontem nunc cum ſublimior ambit,
Et ſacros ſpondet tibi ſumta licentia honores?
Aſſero te, Stegere, mihi: neque dicta refello,
Aut animo quicquam demuto: ſerior ætas,
Argentina, tibi quanquam ſe vendicet, & me
Cum Philura Euſebien neget implantaſſe, Deiq;
Grande Sophos alii transſcribat grata labori,

Fundamenta mihi. Satis eſt puerilibus annis
Formaſſe ingenium, ſatis eſt, nutricula alumno
Quod vovet, & fari ſub me didiciſſe magiſtro
Et ſapere egregiâ puerum indole: nec mihi plura
Ambitione levi cœcâque libidine ſumo:
Si tamen hæc tantis me rebus ſumere fas eſt,
Nec tua te natura operâ vehit altius iſtâ
Adjutorque DEUS. Quantum ergò induſtria, quantum
Humanus debet labor & ſolertia perpes,
Aſſero te, Stegere, mihi, poſitaque ſenecta
Virbius exilio, geminumque vel Æſona vinco
Robore, & antiquos recaleſco ſanguine in ortus,
Cum tua te video tranſgreſſum tempora, & annos
Prævertiſſe animo: ſeu leni voce ſonare,
Sive opus eſt duris imitari fulmina verbis,
Et legis terrere minis. Non Neſtora majus
Eloquium, aut parvæ magnum decus urbis Ulyſſem
Extulit, aut ſtimulos figentem in corde Periclem,
Helladaq; urgentem vario ſermone. Quid altos
Pandere cum ſenſûs alio de ponte neceſſe:
Reddere quàm docto ſcis mutua verba profatu,
Quàm rerum arcanas ſacrarum exquirere cauſas
Scito ore atq; alacri? Quàm partes ire per omnes
Hiſtoriæ & memores priſcorum evolvere faſtos?
Jam dubii incertique angunt ubi pectora caſus,
Et malè natorum ſurgunt certamina morum,
Pontificum raſâ plerunque incenſa cohorte,
Inferior nulli nodos diſſolvis, & aurum

Diſtin-

Diſtinguis ſcoriis, verum haut dubitabile falſo.
Nam quid in his noſtro non reſpondiſſe labori
Dicemus, tantis quid non fundamina rebus,
Aut etiam poſuiſſe modum? Decerpere fructûs
Fas ſit, & hæc læto faſtigia cernere vultu.
Quæ ſi nulla manus noſtra impoſuiſſe videtur,
Aſt alii ut poſſent imponere, ſedula fecit.
Pyramidum varius miracula ſtruxit in auras
Abſolvitque labos: ſed nec qui prima locavit,
Nec qui ſumma operis, ſine laudis adorea abivit:
Et triviæ autorem, licet imperfecta, Dianæ
Templa, quaterdenis non planè condita luſtris,
Evexere ſuum: Venerisq; citavit Apellem
Et caput & pectus. Latè ſua brachia pandens,
Et patulis umbroſa comis, è cortice parvo
Agricolam, & pleno jam fructu nobilis, arbos
Delectat: fœtura, gregem quæ plurima ſupplet,
Paſtorem: quæ prima dedit, matrem, ubera, alumnus.
Nulla voluptatem mihi gignat, gaudia nulla
Auſpiciis formata meis & ductibus ætas?
Aſſero te, Stegere, mihi: nec livida laudem
Detrahet hanc rabies, maneat ſeu vita ſuperſtes,
Seu tumulo tegar, & molli componar arenâ:
Ne, cùm ſumma tibi decernet præmia noſtra
Euſebie, atque humeros Tyrium decus ambiet iſtos.
Partem hinc carpo meam, vindex non vanus honoris
Non vates vanus, poſcant ſi fata, futurus,

VATICINIUM ELYSTRI.

Nuptiis

CASPARIS ZIGLERI JCti,

ET

CATHARINÆ BOSIÆ,

WILHELMI LYSERI

Theologi viduæ.

XV. Kal. Mart. A. E. C.cIↄ Iↄc LXIII.

EStis io Paphiæ cuſtodes, eſtis Amores,
Naiadum nec fallit iter. Vicere rigentis
Longas fata moras & inexuperabile pectus.
Jam ZIGLERUS amat. Rem fas mihi prodere tantam.
Solus in umbroſis Vates tendebat Elyſtri
Ripis, & varias verſabat pectore curas:
Debita quæ generi & naturæ ſolveret olim
Munia, quæ vitæ Veneri pars ſerviat, & quæ
Ducta queat charum ſponſa exhilarare maritum:
Ingenio qualem & formâ, ſi qua optio detur,
Ipſe ſibi fingat juvenis Divosque precetur.
Dumque animum nunc huc, nunc illuc dividit, Illam
Opto mihi, extremum, Sociam, infit, pectore toto (rem
Quæ me amet, & geminâ cum conſtet parte, prio-
Summe tibi voveat mentem DEUS, at mihi corpus.

Non

Non formoſa nimis, nec dis aut nobilis eſto
Illa nimis: pia ſit, comis, blanda atque benigna:
Non turpi facie, aut pulchris virtutibus orba,
Non vicina nimis ſenio, non proxima cunis:
Denique compoſitis ſit moribus atq; decora.
Hæc ſi contigerit, vel me mihi charior ipſo
Hâcque animâ fuerit. Sin pulchro corpore & arte
Inſuper atque opibus dotes cumulare priores
Poſſit, adorandum Fortunæ munus habebo.
Audiit, utq; caput viridi velaverat algâ
Stans ripa in ſumma, Martisque etiam arma retrorſum
Arctoi metuens, Non hæc tibi Najades iſtæ
Vota meæ implebunt, inquit Pater: Haut mihi tanta
Copia tamq; ferax virtutum ſuppetit harum,
Quas generoſꝰ amas. Nec te ingens Patria pignꝰ,
Immortale licet firmumq; ſpoponderis illi,
Infelix capiet, ſeu quòd tu Scipio major,
Sive quòd illa Remi par urbi, & plurima Livor
Occupat, ac nigrâ vexat loligine vates:
Sive quòd alba locum Parcarum vellera mutant,
Et Themidis te celſa vocant faſtigia. Littus
Ne noſtrum preme, docte: favet tibi ſpumifer Albis,
Et deſideriis vel ſolus ſuggeret iſtis,
Quod mirare, decus. Sic vaſto gurgite ſeſe
Mergit, & ambiguum fati curæq; relinquit.
Ille abit, & veteres ſenſim dediſcit amores,
Eventu optatis non reſpondente, nec ullâ
Oblatâ, expreſſam referat quæ comoda formam,

Totum ſe Aſtrææ divinæ conſecrat arti;
Abjectâque lyrâ, Latiis quam primus ab oris
Teutoniæ intulerat, Labeonem pectore fingit.
Jam Witeberga rapit, jam per ſublimia ad ipſum
Juridicina apicem Baldiq; ſcientia tollit,
Et Saxo ad puteal non unum deſtinat, ore,
Conſiliis,operâ, ingenio factisque potentem.
Exciderant animo tædæ & commercia lecti,
Nec reperiſſe domi cura ulla,aut ulla voluptas,
Quod quæſiſſe foris multis labor. Ergo moranti
Tempus, Elyſter ait,veteres ſuccendere flammas,
Et dictis curare fidem. Tres ite repente,
Et defixæ alibi renovate incendia menti,
Naiades, tu blanda Sao,tu fuſca Galene,
Cymothöe tu docta dolos artemq; loquendi
Gnara gravem. Nec tu noſtris alienior undis
Fatorumque minus memor, Albis, numina ſpernes.
Fons eſt, Blanduſiæ ſimilis,propè læta fluenta
Littoris Albiaci,cancellis clauſus,& alnis
Deſuper ac vivo contectus ceſpite, at infra
Puram in valliculam devergens limpidus undam,
Grata viatori, Muſis gratiſſima ſedes.
Hic juvenem aggreſſæ: quanquam vi diſpare & arte,
Nec ſermone habituque pari. Nam prima Themiſtin
Pulchra Sao ſimulat. Quidque hoc, ait, integer annos
Viribus Idaliæ ceſſas impendere matri,

Et

Et ſoli ignavas pateris tibi currere noctes,
Nec generis te cura movet,nec cura nepotum ?
Ne pugna. Jovis ipſa diu quæ baſia fugi
Fortis,ad extremum fruſtra luctabar amori.
Altera nunc Vatum,nunc priſca exempla Solonum
Faſſa Sophûm memorat natam de gente : Metelli
Cenſuram neſcis rigidumq; neceſſe Quiritum,
Et Gellî penitùs doctæ exoluere lucernæ ?
Tertia in ancipiti poſito non jam bona laudat
Conjugii, gravitate potens & fronte Sibyllas
Exputat ætates,& quæ bis templa Diones,
Bisq; adiere Paphum longo diſcrimine præfert,
Queis rudibus dedit eſſe dies annique minores.
Hæret,&, an vetus eſt,ait, hæc ſententia nobis?
Et cur non priſcos iterum meditamur amores,
Et cur non Veneris vicinæ adſternimur aræ,
Et cur non?Fugiunt cum dicto numina, & Albis
Ipſe pater lævum plaudit, lætâq; repente
Voce animo anticipans agitata,Hîc,inquit,adora.
Cætera quis neſcit?Tædæ exarſere jugales,
Atque optata leves riſerunt oſcula Amores.
Nobis illa ſatis dixiſſe. Hymeneia vates,
Poſt dominæ laudes præmonſtratumque decorem,
Feſta diemq; canant. Noctem canet ipſe maritus.

VENUS ÆDILITIA.

Nuptiis

ADRIANI STEGERI,

Senatoris Ampliſſimi,

ET

ELISABETHÆ MEIERIÆ,

ÆDIL. FILIAE.

M. Octobr. A. E. cIↄ Iↄc LXI.

ERgò poſt lacrymas & ineluctabile Clothûs
Fata novantur opus, deploratæq; cupreſſi
Mutantur Paphiis, Divæ inter gaudia, myrtis.
Priſca redit facies, deſolatosq; Penates
Lux alta irradiat veteriq; auguſtior ambit.
Faſcibus inſignes & legum culmine fultas
Conveniſſe domos, Hymeneiaque pangere feſta
Cernimus, antiqvum nec deſperare nitorem.
Nutabat jam mœſta domus, ſanctiq; Viales
Parcarum oppreſſi rabie, dominaque peremtâ,
Nota peregrinis trepidabant limina Divis
Et gelidos migrare focos. Non gratia tignis
Priſtina, nec ſolitos exhalant thuſcula odores,
Aut agna, exiguum munus prius, imbuit aras.
Bulla adeò cinctis olim ſuſpenſa cadebat,
Et textæ nitido marcebant flore corollæ.
Ultima cauſa ſtetit miſeræ; cum damna Larunda.

Iſta dolens alto ſuſpiria pectore ducit,
Singultuque gravi, Sic nati pellimur, inquit,
Nec quisquam tantas divûm inſtaurare ruinas,
Aut virtute volet rebus ſuccedere lapſis.
Heu nimium rigido exigimur nimiumque ſevero
Fatorum arbitrio: multoq; benignior illa
Militis Auſonii vis eſt, quæ mœnia cingit
Et numeroſa viris tectis ſublimibus inſtans.
Evocat ore deos, & templa auguſta forumque
Deſeruiſſe jubet, vacuaq; abſcedere terra.
Nec gravius Gabios urſit miſerasq; Fregellas,
Aut belli ſtudio celebres Carthaginis arces,
Carmen, & hærentum Superûm incantatio victrix.
Tuque adeò hæc æquis oculis Amathuſia, Amorum
Aſpicis alma parens, nec te ludibria tangunt
Noſtra, atq; ejectæ jamdudum impendia gentis:
Cui ſervare domos labor eſt hominumq; mederi
Caſibus, & ſeros miſiſſe in ſecla nepotes
Nequicquam Lacheſi ringente iraq; ſororum,
Fortè ſerenati quà ſe plaga lactea mundi
Oſtentat, diviq; ſuos poſuere penates,
In ſolio Venus aurato formoſa ſedebat,
Atq; ædilitias verſabat pectore curas:
Templa quis inſtauret Pharias collapſa per urbes,
Quem Paphos accipiat, quis Amoribus edere ludos
Suſtineat, privisq; ereptos reddat honores
Ædibus, & triſtes properet ſarcire ruinas.

Mille pharetrati apparent in limine fratres,
Grex alacer pennis, ad nutus promtus heriles,
Ore pares, ævo ſimiles & luce coruſca.
Signa petunt, quas ire domos, quæ mœnia condi
Imperet, aut volucri ſpectacula reddere turbæ:
Phœnicumne arces reparari an Memphidos optet,
An quas Germano corrupit in orbe vetuſtas?
Huc iit, & poſtquam dictantem agnovit & acri
Juſſa edicentem ſtudio ſellamq; curulem,
Et circum faciles connubia ludere Amores:
Salve, ait, & , Veneri ſi nunquam ingrata Larundæ
Progenies tibi noſtra fuit, penetralia tanta
Vaſtari tam ſancta veta, gratumque dynaſtis
Hoſpitium Laribus, quantum potes, aſſere pulſis,
Cernis ut incultæ ſtent & ſine honoribus aræ
Et dominæ doleant libamina grata prioris,
Spectatamq; fidem: fatique heu dura querantur
Imperia & triſtes abrupto ſtamine leges.
Quas ut nulla queat violentia flectere, ſic te
Quid prohibet generi donaria reddere noſtro,
Et dudum extinctos, tanta inclementia facti,
Succendiſſe focos. Vel nos vicinia honori
Reſtituat veteri, niſi quid tu caſta dearum
Diſſentis, votoq; beet pulcherrima tanto.
Digna domô virgo eſt, genus alto è ſtemmate ducens,
Magnis major avis. Nam formæ dicere dotes
Cum vincant animi, morum eſt injuria grandis.
At quàm non juvenile ſapit? quàm caſtus in omni
Ore

Ore lepor! vultûs quam docta Modeſtia, claro
Ortu noſſe patrem, nec patrem fronte fateri,
Et merito certare ſuo? quàm providus ardor,
Quanta gubernandi commiſſa ſcientia? Matres
Tantum illa Auſonias, quantum Latonia nymſas,
Extat, & ingenio præit & virtute Sabellas.
Illam, Theſſalicis vidiſſet Phœbus in arvis,
Nondum eſſes ramus, nondum, Peneia, laurus.
Nec falſo in Danaen cecidiſſet Jupiter auro,
Hæc incluſa foret. Divinæ huic ſacra Puellæ
Jura tori regimenq; peto, quò vaſta recenti
Præſidio ſuffulta domus faſtigia ſervet,
Et dominæ arbitrio veteres ſe ſurgat in ortus.
Reſpondere toris, & munera tanta mereri
Vel viduus, vel nemo poteſt. Generoſus & illi
Sanguis & è claro deductum ſtemma parente,
Patritiusque decor: mens ſemper ad ardua tendens,
Et quæ venturos jamdum ſibi prærogat annos,
Ac pueri ætatem ſuperat non vilibus auſis,
Tantò ſe major, quantò properantior ævo,
Deditiorque ſacris Muſarum, & Apollinis arti.
Vix teneræ inveſti pingebant tempora lanæ,
Et rara è mento ſurgebat barba, verendum
Jam ſapit ille ſenem & grandævum Neſtora fingit,
Eloquio meliore potens linguaq; diſerta,
Quà fandi vis lata patet, ſive orſa neceſſe
Adſtrinxiſſe modis, ſeu ſpargere verba ſoluta
Auſonio Grajoq; ſono: ſeu terſa lepores
Exigit & comtas facundia Gallica voces.

Jamque peregrinas Genio ducente per oras
It juvenis moresq; hominum cognoſcit & urbes,
Doctrinæ omnigenæ dotes, veramque regendi,
Quâ patriæ prodeſſe ſuæ nunc cernitur, artem
Grande operæ pretium ſtatuens ſumtusque viæque.
Atque ut triſte virum puteal ſtimulansque fatigat
Curia, dat placidis interdum tempora Muſis,
Et digna ingenio non uno elucubrat ævo,
Non unâ celebranda lyrâ. Mirabitur orbis
Teutonicus, propriâ, quæ nunc amplectitur ipſe
Cecropii conſulta ſenis, ſe prodere linguâ,
Soli lecta prius, ſoli orbi cognita Gallo.
Huic ſociam jungi & dominam Laribusq; mihiq;
Oro, & deſertas iterari frugibus aras
Antiquâq; molâ & Panchæi thuris acerrâ.
Dixerat. Arridet leviter Cytherea, diuque
Hæc, inquit, tacito mecum ſub pectore verſo,
Et curâ te, chara, levo: mea ſola poteſtas
Hæc omnis, junxiſſe toros & fœdere certo
Conſociaſſe animos. Quæ non ego vincula necto?
Quos non arte domo populos? Ipſum æthera terris
Concilio, & pluvia facili in connubia ſolvo.
Auſpiciis ſtat Roma meis, dum Dardana Martem
Amplexa eſt Veſtâ nequicquã inhibente Sacerdos;
Et Troja in cineres penitùs converſa reſurgit
Igne animata meo. Domus una hac flebilis arte
Excidat, & noſtro auxilio defecta recumbat!
Sic ait, & ſolio placidè dea ſurgit eburno,
Ipſa

Ipſa malo meditans ſperatam afferre ſalutem;
Et jam certæ viæ jungi ſibi poſcit Olores
Ocyus, & geminas accerſi ad frena Columbas.
Jungit Amor dicto citius, matremq; volentem,
Purpureo temone ſedens, per nubila vectam
Lætam alacremque animo Philurea exponit in urbe.
Illa domos notas tendit, thalamosq; parari
Dum videt, & volucrum prævectos tergore Amores
Mandato feciſſe ſatis: nam lumina Nocti
Suſpendunt alii funaliáq, ordine pectunt,
Extinctâ immemori Lethes, ſic juſſerat, undā
Lampade, quâ veteris redeunt incendia cauſæ:
Myrto alii nitidos obducunt ſimplice poſtes,
Et flores ſpargunt calathis pictasq; corollas:
Flammâ alii ſucos adolent crepitante Sabæos,
Rem gratam Laribus; pandunt velamina lecto
Lutea, Sidoniasque alii pro tegmine veſtes:
Ridet, &, ut junctos ex voto offendit amantes,
Vincla manu promit, geminasq; amplexa calentū
Dextras, his ultrò ſancit connubia verbis:
Vivite concordes atq; has virtute paternâ
Inſtaurate domos, ſociâq; ardeſcite flammâ
In commune bonum: nec vos immite ſororum
Arbitrium tantis aut Sors prior avocet auſis.
Oſcula mille ſonent; nec caſto nata cubili
Pignora poſteritas numeret ſeriemq; nepotum.
Tuq; adeò ædiles, facta hæc ad munia, curas
Suſcipe Virgo lubens, magnumq; imitare Parentē,
Miſce-

Miſcebit ſe cura Viri, Soceriq; tuendis
Partibus & ſtudio dignum ſe oſtendet avito,
Inſignis proprio. Sic Te domus ampla Patronam,
Sic dominam matremque vocet. Qui l lumina tingis,
Quid ſimulas ceſſim ire? operi te accinge beato,
Et dici dilecta viro permitte, quod optat:
Quod fugis, ipſa voles, &, quod nunc ſpernis, amabis.
Finierat. Volucri ſe rurſus in aëra curru
Librat, & albentes repetit, Divûm atria, ſedes,
Antè pharetrigeris & ponè volantibus axem
Et matri pueris veterem plaudentibus artem.
At Jocus & centum remanent poſt terga Lepóres,
Et lecto illatebrant ſeſe: manet impiger ipſe,
Et tenebras expectat Hymen, vinxiſſe cubile
Quo ſine, & Idalias fas non eſt tollere tedas,
Et prima extorres redeunt ad limina Divi.

SAPI-

SAPIENTIA REDUX.

Nuptiis

JOH. SIGISMUNDI SCHWENCKII,

Logicæ & Metaphyſ. Prof. Publ.
& Facultat. Philoſophicæ h.t.
DECANI,
cum
Virgine lectiſſima

MARIA REGINA GRIEBNERIA,

Ipſo ABUNDANTIÆ die XIV. Kal. Febr.
A. E. C. cIↄ Iↄc LXIII.

CUi nova mutatis miteſcunt tempora faſtis?
Quid Boreas tam lene ſonas, Zephyrique tepentis
Inſtar atras hyemes paulatim & triſtia mollis
Frigora, telluri cœlum in connubia ſolvens?
Cui mutas Natura vices? cui tinnula Pæan
Plectra moves? thalamis queis cingis tempora, feſtas
Quid vibras, Hymenæe, faces? Non fœdera non hæc
Mortales pepigere manus. Auguſtior ambos
Vis ligat, & vulgi ſpernens Occaſio mores
Cœleſtes animos ſub vincla tenacia mittit.
Dicam equidem, nec me pulchri tædere laboris,

Aut

Aut facti poterit, mitiſſima Numina, veſtri.
Caſta triumfales Sapientia jungere currus
Juſſerat, & ſimulas ferri ad Capitolia pompas,
Annua (namq; dies ſummo properabat Olympo)
Munera & emeritas diſpartitura corollas.
Adſtant, & dominæ lateri reverenter adhærent
Pulchra Boni facies, & ſponte adamabile Verum,
Atque Unum has præter comites ſociabile nulli;
Quæque aliæ alternos faciunt longo ordine greſſus,
Antè & ponè abitus obſervant ritè futuros.
At Ratio ardentes aurigatura quadrigas
Siſtit, & imperium nutusq; expectat heriles,
Quô velit ire gradu, quô cœli limite tendi.
Ipſa hilares animos Philure capit, ipſa labores
Interea, antiqui memor ingentisq; pericli,
Exputat, atq; novâ jam rurſus laude ſuperbit,
Adventu confiſa deæ. Panduntur Honorum,
Panduntur Curarum ædes: jamq; utraq; portas
Templa ſuas laxant, & lauro limina cingunt:
Confinesq; tholos, & feſtis frondibus aras.
Addere ſe dulci Baccho cinctuta volebat,
Et divæ ſolitas venienti ſternere menſas,
Alma Ceres; ſed viſa queri non æqua laborem.
Namque, ait, has olim nequaquam ſola parabam,
Quanquam firma, dapes. Sociam Venus aurea ſem-
Junxit, & hac ultrò curâ me blanda levavit. (per
Audiit illa Venus, ſed non quæ nata profundo
Plebem inconſultam populari accendit amore;
Sed cœlum quæ caſta animat, quæ ſidera flammâ
Tem-

Temperat, atque ipſos dignatur jungere reges
Reginasq; toro, vitæq; haut immemor actæ,
Et quis non ſteriles SCHWENCKI, inquit, novit
honores,
Expertemq; tori & dulci ſine compare vitam?
Æqua petis, meq; hæc jamdudum cura remordet.
Jungetur, quæ promta oneri ſuccedat, & illi
Blanda levet curam, & venientes mitiget annos,
Nec formæ, nec gentis egens. Cunabula magnis
Ducit avis, ſanctâq; Patris pietate coruſcat,
Maternâq; nurus vincit probitate vetuſtas.
Sit modò, qui noſtros utrique inſpiret amores.
Sic ait, & Paphiis partes has tradit Alumnis,
Et geminam migrare jubet. Volat ales uterque
Sidere, quod celeri perrumpit tramite nubem,
Ocyor. Atq; alter partes deflectit in illas,
Et SCHWENCKI rimatur iter. Docet ille juventam
Commodùm, & arcanis defixus pectora curis,
Quo placanda modo, quo ſit Sapientia cultu,
Quo deceat geſtu venienti occurrere, monſtrat.
Tum puer: Has inter curas ſecurus amorum
Dum degis, medioq; putas te frigore tutum,
Accipe vulnus, ait: nec longos differ in annos,
Quod Sicula urget opus. Certè cunctatio nulla,
Nulla mora hos ſolvet, nec hyems truculentior,
Quos juſſu tibi, docte, paro. Sic dixit, & ictu (æſtu,
Pervia non uno confixit pectora telo,
Jactatumq; manu telo ſuperaddidit ignem.
Illa autem ſecura tori, tædasq; parari
Neſcia, dilectæ fruitur ſermone parentis,

Mater-

Maternosque bibit mores, exemplaque diſcit,
Qualia vel Triviam docuit Latona, vel acrem
Mnemoſyne Aonidum gemina ſub rupe Thaliam,
Unà operi pingendo & telæ intenta Minervæ,
Quam doctâ diſtinguit acu. Tum fervidus alter,
Ut pariter celeres cum fratre intenderat arcus,
Tu quoque vulnus ales, noſtroq; ardebis ab igne
Virgo, ait, & medium diffindit arundine nimbum,
Ac penitis abdit flammas & tela medullis.
Ardet uterq; ſuo, nec iniquô vulnere, & ignis
Sentit inexpertum, miſſi per anhela, calorem
Saucius, inviſosq; olim nunc optat amores.
Quàm nihil humani ſequitur veſtigia moris
Cœlicolis commiſſus amor! Quàm torpor O-
lympo
Exulat, & ſegnes oderunt ſidera flammas.
Atriden non pulchra diu Ledæa minorem;
Pelea non genitrix ardentem torſit Achillis,
Et ſponte in viridi poſuit latus Ilia ripa.
Aurea vix unum Dictynna peregerat orbem,
Jam Cajus, jam Caja fuit. Lætantur amici,
Et conſanguineo fervet domus utraq; plauſu,
Officiis operæ. Jam ſparſa Aſarota nitenti
Flaveſcunt ſabulo, geminæque ad limina Patres
Urbis, gratatum thalamos Hymeneiaq; vota,
Adſunt, & comtæ veniunt ad gaudia matres.
Ipſa dies epulis & Bacchi nectare abundat;
Nox illo, quem ſolus habes, Par nobile, Hy-
metto.
At propria hæc Pietas, cœlo gratiſſima, ſpondet,
Fida

Fida comes Veneri, & ſinceri pronuba amoris,
Sicque ultrò, ut poſitos cernit, connubia ſancit:
Creſcite, nec veſtris ceſſet clementia tædis,
Sobria non-genito quæ vertit pocula vino,
Donavitq; novos geniali munere lectos:
Et per vos toties redeat Sapientia in orbem,
Nec ſociâ viduam ſeſe unquam Ennæa queratur,
Sera ſit, & ſolis lux nota nepotibus illa,
Quæ cœlo inceptos cœlo transſcribat amores.

VENUS VILLICA.

Ad

GABRIELEM VOIGTIUM,

in Elberſdorff, Conſiliarium Saxonicum,

In Nuptiis filiæ

CONCORDIÆ SOPHIÆ,

cum

D. ANDREA METERO, JCTO.

XIV. Cal. Maji A. E. C. CIƆ IƆC LXIX.

Legibus illuſtres, atque Aulæ culmine fultæ
Convenere domus, & læti fœdera firmant
Cum genero ſperata ſocer, nec gaudia natus,
Auſoniâ latitans, abſens Hymeneia turbat,
Aut nuptæ egregiæ fata invidere ſorores.
Agnoſcit Natura faces, flammaque caleſcit

Jam

Jam renovata pari. Cœlum tibi nupturit, Heros,
Et gnatæ faciles Thetides imitantur amores
Oceanusque pater: poterat nec tempora ſponſus
Dilato penſare magis, noctesque puellæ
Lætius, aut lecto Venus accurriſſe jugali,
Hæret in Europæ dum Sol vectore, Jovisq;
Et Tyriæ veteres deſignat lumine flammas,
Exemplo facienda docens; dumq; aurea Parcis,
Plauſibus in mediis, Phryxeo vellere duci
Albis fila Pado, Viadrus reſponſat Elyſtro.
Viderat Heſperiæ mirantem oracula terræ,
Nectentemque moras juvenem, perque omnia euntem,
Quà ſe culta Themis non parvis urbibus effert,
Et regere imperio cives non invida monſtrat,
Seu bello ſeu pace placet ventoq; ſecundo,
Diva Paphi: rerumque memor, Quò laberis, inquit,
Quidve hærens temerè fatis felicibus obſtas
Ipſe tuis? Tædæ jamne obliviſcere noſtræ,
Nec tangit te cura tori pactique Hymenæi?
Sat Themidi Latiique datum ſplendentibus oris,
Et, quorum tibi nota nimis ſunt jura, metallis:
Nunc mea regna vide, quà ſe vicinior Albis
Jactat, & illuſtri ſelix allabitur Urbi,
Imperiumq; redux venerari aſveſce Diones.
Dixerat: ille deæ monitis veſtigia retrò
Flectit, & antiquas feſtinus tendit in oras,
Et propior jam, augeri incendia ſentit, & haut ſe
Continet, ac potius, modò quæ tardaverat, optat

Idaliæ

Idaliæ fomenta deæ faſceſq; beatos.
Incuſat ſpes ægra moram, tardique videntur
Ire dies, ſegnisque rotam non vertere Luna.
Nec gravius torſit, dum differt, Scyria Achillem,
Integra adhuc fraudisque expers, nec prima juventæ
Gaudia quærentem Phœbum Penēia virgo.
Eridanus tum fortè deam, ſacer amnis, habebat,
Et teneri adſtabant viridanti in littore Amores,
Aligeri pranſique omnes, quæ ſpicula figi,
Quas inferre faces mater, quò vertere curſus
Imperet, an terris ſævire, an malit in undis,
An ſociare domi, peregrè an conjungere mentes?
Illa unum, conchâ jam mutatura quadrigas,
Advocat, & curru nantes in flumine cygnos
Jungere, temonemque ad Teutona climata verti,
Huc abitura, jubet. Citat ille ad frena volentes,
Impoſitamque vehit lætam per nubila matrem,
Agmine non parvo cinctam, Spirabat odores
Ceſtus, & æthereo fragrabant nectare plantæ,
Quaque ibat, documenta ſui non vana ferebat;
Ad nova dum volucres ſtimulat connubia, & ipſum
Æthera jam madidis ſociare cubilia terris
Complexûsq; jubet: Danaen velut imbre maritat
Jupiter, & pluvio in gremium demittitur auro.
Et jam viſa ſibi ſolo Natura renaſci
Adventu propiore deæ, cum littore cygni
Albiaco ſiſtunt, & magni Saxonis urbe
Juſſi deponunt matrem. Vicinia ridet,

Et Pater ipſe novas gelido ſub pectore flammas
Concipit, ac dominæ afflatu ſe ſentit amare,
Deponitque ſitus, & proxima quæque ſerenat.
Sola horret, noctemque pavet, cui ſacra parare
Juſſus Hymen; thalamumque fugit tædaſque jugales,
Et Veneris dare colla jugo formoſa recuſat,
Servatura decus, caſtumque in corpore florem.
Ergo artes Cytherea novas in pectore verſat,
Et, dea ſi ſpernor, potero vel villica amari
Admittique, inquit, nec, ſi meus ille Sichæum,
Et luctus abolere animo curaſque priores
Aſcanium indutus potuit, non vertere ſenſus
Virgineos potero ac mutatâ inflectere formâ.
Villica ſim, qualem vel Sole peruſta Sabina,
Appula vel mulier, vel & Albiſdorfia præſtet,
Non ignara domûs, nec pulchræ ignora puellæ,
Et fandi ſacra noſtra potens Hymeneiaq; feſta.
Sic ait, & Tyrium ſubitò deponit amictum,
Collaque, Hydaſpeis jam non radiantia gemmis,
Succineis ornat globulis, & ſimplice pallâ
Membra tegit, vittiſque comas levioribus ambit;
Nec Stacten, ſed ruris olet viridantis honores,
Acceleratque gradum. Solum lepidiſſima ſervat,
Æthereo quondam medicatum nectare, ceſtum,
Cum Cadmo Hermione ſocianda, ſinusq; fluentes
Hoc rotat, & calathos manibꝰ protendit agreſtes,
Ingrediturq; domum. Jamq; agnita, mœſta puellæ
Quid ſibi volta velint, quærit, divinaq; , tædas.
Anne, ait, accendi metuis, pulcherrima, nec te,

Quæ

Quæ rediere orbi Veneris commercia, flectunt?
Quis formæ morumq; modus?nunquamne virili
Submittére jugo,nec de te pignora charus
Agnoſcet ſuſcepta parens, atque oſcula figet,
Hæcq; inter curas ſolatia leniet illas,
Quas Aulæ res ampla creat patriæque labores?
Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt;
Partem pacta fides ſponſi ſibi vendicat,& lex,
Quam generi Natura tuo non improba fixit,
Proſpectura viris.Neſcis,ſvaviſſima, neſcis,
Quas terat illa vias, vaſtum quibus artibus orbem
Continuet,patrioſq; lares gentemq; propaget.
Da facilem te,pulchra,deæ,lectumq; jugalem
Scande lubens,Veneris nec gaudia differ in horas;
Te nubente novo reparant ſeſe omnia vultu,
Atque orbis renovatus amat,tecumq; priores,
Frigore depoſito,Natura recolligit æſtus,
Et thalamo ſe læta parat. Jamq; oſcula conchæ,
Svaviaque aëreis inſtaurat turtur ab ulmis
Murmura,jam palmis protendunt brachia palmæ,
Et teneri incipiunt ramis hærere corymbi,
Ipſi,vidi etenim, quà ſe Albiſdorfia tollit,
Regna paterna,Pale,veſtris ab amoribus ardent
Acrius, & choreis indulgent ruſtica Phyllis,
Ruſticus & Coridon, nectuntq; è flore corollas
In tua feſta ſuas,& herili virgine gaudent.
His mulcet dictis, thalamiq; inſtillat amorem,
Fitq; Venus rurſus.Duci illa ad gaudia lecti
Interea, extructoſq; toros, nec ſpernere tædas
Nunc,Hymenemq; levē,nec ſeſe opponere dictis.

Tum divæ ammonitu medio Concordia cœtu
Evolat,& complexa virum, complexa puellam
Jungere nunc dextras, nunc oſcula figere mandat,
Nunc facere, egregium factu quod rentur amãtes.
Ipſa pharetratos perfecto munere fratres
Ire Amathum ceſſamque Paphum lætamque Cytheram
Idaliumque jubet: felix iter ordine longo
Unde ſuis memorent, & avitæ in ſedibus aulæ
Firmum teſtentur fœdus, faſtiſque reponant.

SILENUS
In Diſſertationem
De
ORIGINE AMERICANORUM,
Ingenio & doctrinâ præſtantiſſimi adoleſcentis
GODOFREDI WAGNERI,
Lipſ. Pauli JCti Fil.

Vix mihi dicta Venus numeroſo Villica verſu,
Adventuq; deæ renovati prodita mundi
Gratia,Naturæq; decor: cum Cynthius aurem
Vellit,&,Hoc trito vatum quid tramite curris,
Quid tibi raucet Hylas? inquit; Majora canenda
Argumenta ſuper, rurſusq; inventus in antro
Verax magnarum pepigit primordia rerum
Silenus, nec ut ante Midam deluſit hiantem.

Huic

Huic & patritio juveni, divina merei ti,
Si potes, eſto Maro, Chromidique anteire liganti
Mnaſyloq; jube, quæque hiſce ſupervenit, Ægle,
Solerti ingenio & famæ felicibus orſis.
Ergo cano & memori deſigno carmine viſa:
Nec, ſi haut Andino ſuſtollor in ardua plauſu,
Aut tua, Magne Pater, nequeo nunc dicere facta,
Quæ nati celebrat, vileſcet pagina, nomen
Inferiore ſono. Laus eſt & parva profeſſis,
Sæpius & dignæ viſæ ſunt Conſule ſylvæ.
Ordior: In viridi ſtratum jam vinxerat herbâ
Vere novo juvenis, perflantem pectore ſomnos
Turgentemq; mero, nec vincula ſenſerat ipſe
Dilati ſpe longâ, & non leviora petentis,
Quàm vel magne Phrygum rex vel Mnaſyle petebas!
Cum movet ille artus, & adhuc benè potꝰ ab alto
Vix ſeſe emergit ſomno, luſuſque vetuſtos,
Et gratos iterum queritur poſt pocula nexus:
Ac, quis, ait, nodo conſtrinxit membra, quis orbem.
Me narrare novum, nec vano carmine, cogit?
Liber eram, cum ficta tibi, rex barde, canebam,
Aut fictis propria, Europam & pulveris Afri
Æſtum ultrà, terraſque Aſiæ, pulcherrima tempe,
Et duplo majora hominum, majora animantum
Corpora, & extentum lætis mortalibus ævum:
Et geminam ante alias ſurgentem mœnibus urbẽ,
Euſebien Machimumque, & tergum vertere Anoſtum

Nolentem indigenas, non uno flumine cinctos
Lætitiæ luctûſque, & mira ex arbore fructus,
Et genus inverſum lethi, ætatumque recurſum;
Et quæ plura animi vis non aſtricta jubebat
Infrenisq; furor. Nunc gratâ compede vinctus
Te, Proteu, cano vera magis, teque, augur Apollo.
Principio humanum ſe ſanguine ſcindit ab uno
Multiplicatque genus: tum mundi dividit oras,
In parteſque meat varias, quà ſurgit Eoo
Cardine, quà Heſperiis Sol feſſus tingitur undis,
Et gelidus Boreas, pluviusq; remurmurat Auſter.
Nec vacat, Oceanum quæ ſeſe exporrigit ultra,
Terra potens rerum, civesq; invitat, & auſos
Suſcipit, ac reliquo diviſos orbe coërcet
Exaugetq; viris. Neque enim latuere carinæ,
Aut mare navigiis, quàm ſciſſa eſt vomere terra,
Primâ ætate minus: patuerunt æquora ventis,
Et patuere rati, nec vis ſua defuit arti,
Ingenioq; vigor. Pepulerunt ſola colonos
Crimina, communique arva involvêre ruinâ
Fatales undæ, cum tellus gurgite merſâ
Deletos hominum gemeret pecudumque labores,
Extinctaſque domos, vix unâ ſoſpite. At una
Se tamen illa novos fœcunda erupit in auctus,
Et data non longo reparavit tempore damna,
Implevitque ſolum. Cœpit formidine pulſâ
Hæc quoque terra coli rurſus, vel cedere ſorte
Uni addicta trium, poſtque improba mœnia adiri.

Hus

Huc Javane ſatus, ratis huc Phœniſſa tetendit,
Huc Arabes, huc vela Scythæ rexere Sinæq;
Solertes populi: tetigit quoque littora Apella,
Et quos ſeditio, quos expulit, ultimus urbi
Qui ſtetit, armorum furor, & ſtipata virorum
Agmina, & anguſtis includi neſcia ſeptis.
Venit & Auſoniâ natus, venêre Britanni,
Et potor Rhodani braccatus, & accola Nili,
Vel pedes, æquoreis vel ponto invectus habenis.
Sic diverſa locis, ſic linguâ & moribus impar
Natio non unâ ſuccrevit origine, nec ſe
Unâ cenſeri patitur ratione modoque.
Dixerat; applaudunt Satyrique feræque nemuſque,
Annoſumque caput motat Dodonia quercus:
Nec tantùm Lycio ſe jactat Apolline Cyrrha,
Orphea vel Rhodope miratur & Iſmara vatem.
At juvenis doctâ condit memorata papyro,
Et, quantum ingenii valeat ſolertia, quantum
Vis animi, prætextam intrà patri æmula, monſtrat.

LAPSUS ANGELORUM.

Ovum

AD AUSCULTATIONEM CARMINIS

A

JOHANNE JACOBO DIMPELIO,

HERZBERGA SAX. BON. ART. ET PH. BACCAL.

RECITANDI

ACADEMIAM INVITARET.

QVanquam flammipedes cœli ſtellantis a-
ſummos,
Infragiles animo proceres, veriq́ue tenaces,
Et primæ ante alios radiantes lucis honore,
Annua Lux meminiſſe prius, ſummasque To-
nanti
Laudes pro meritis jubeat nos dicere tantis;
Impietas hominum tamen & perverſa libido
Labendi angelicos animis expendere lapſus,
Et cœlo è medio detruſam in Tartara gentem
Juxta etiam cogit, nec in illo ſiſtere tractu
Nos ſinit, aut niveas tantum perquirere formas.
Nam quid poſt vetitam pomi illætabilis eſcam
Antiquo Geniorum auſo, factoq́ue nefando
Non ſimile Orbis habet? Par nos audacia,
par nos

In

In ſcelus omne rapit furor, atque excludit Olympo.
Nempe Venus (ſic finge animo) labentibus illis
Improba, & obſcœno ſuccenſa in pectore flamma
Cauſa fuit: fœdos quis ſecli neſcit Amores,
Furtivosque toros? Ubi nunc lex Julia? dormit.
Invidia exegit? Quæ major regnat Erinnys?
At veri deſertor erat grex ille, per orbem
Vaniloquâ ſpargens mendacia ſubdola linguâ?
Heu ubi priſca fides, & non violabile Verum?
Omnis homo mendax. Forſan gravis æſtus honorum
Et laudum maleſvada fames factusq; ſuperbos
Culmine dejecit juvenes? Quis tollere criſtas
Non ſolet, ingenio ſi præſtet & indole, vel ſi
Plura domi farra & majores glandis acervos
Aggerat, & nummos plures in fœnore ponat?
Aut quis, quam ratio dedit & fortuna beatis,
Æquo animo, nullâ tinctus loligine curtam
Ferre poteſt ſortem? Noſtri nos pœnitet omnes,
Et vana ambitio ſtimulos ſub pectore verſat,
Majorique putat nos dignos eſſe theatro,
Utque illi ſe æquare Deo mundiq; patentem
Digerere arbitrio molem voluêre: ſuperbos
Sic nobis ſublime nihil nimis, aut nimis altum,
Stultitiâ cœlum petimus faſcesq; Tonantis,
Et volucres animo currus agitamus & ignes,
Pulchri ipſi nobis viſi belliqué ſaperdæ,
Et propriâ incenſi formâ, Cephiſia proles.
Finge ſed, humanam cum Natum ſumere formam

Conſilio æterno & corpus mortale juberet
Omnipotens,nexum ſociorum è millibus uni
Divinæ credi naturæ & fœdera firma
Hos potius voluiſſe, homini quàm cedere partes,
Atque Deum imbelli veſtitum agnoſcere carne;
Nec nobis divina placent oracula : ab ipſis
Carpitur haut rarò Sapientia cœlica natis,
Et figulum factura docet, ſis nempè Minervam.
Ergò cave, ſanctum quisquis peccando laceſſis
Numen, & antiqvum Geniorum imitâre furorem
Infandumque ſcelus, tecumque hæc pectore volve,
Cum ſubit aut Veneris rabies maleſana nefandæ,
Aut mentem tumido ventoſa ſuperbia faſtu
Inflat & à cultu retrahit verboq; Jehovæ:
Aut amor ille ſui titillat pectora, teq;
Solum admirari jubet,& poſſe omnia ſolum,
Umbram alios vix eſſe tui malè gannit in aurem;
Sive alia avertit volucres ſine corpore mentes
Peſtis & extorres cœlo regnoq; Jehovæ
Fecit: ſollicitè hæc, inquam, volve atque revolve,
Veridico geminus quæ promit Apoſtolus ore;
Si Deus angelicis,quæ peccavere,catervis
Non parſit, Noctisque in tartara nigra catenis
Tradidit,horrendæ ſervandos judicis urnæ,
Si Sodoma ignitis pœnas dedit hauſta procellis,
Et cinis immundus facta eſt fœtorq; Gomorrha,
Primaque diluvio perierunt ſecula juſto;
Ne tibi parſurum mortali ſemine nato

Ne,

Ne, ſcelerate, putes. Sedet æternumq; ſedebit
Lucifer infelix & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis patrium ſuſpirat Olympum.
Sed lapſum hunc, noſtris cum ſeſe craſtina terris
Efferet, octavam Lux & produxerit Horam,
Amplius alterno cantabit carmine cultus
Artibus & primæ decoratus germine lauri
DIMPELIUS juvenis. Tu cujus Epomide Ludus
Splendet & ingenti conſiſtunt publica nutu,
Subtrahe te tantis rebus, parvamq; canenti
Quæſo moram tribue. At capiti vos jungite veſtro
Lumina Athenæi, Doctores atque Magiſtri,
Quosque aptos habilesque ad utrumque Licentia fecit,
Si vacat, atque aures vati præbete benignas.
Sponte ſua ſocium de tantis dicere rebus
Audiet, hæc ſpes eſt, Muſis addicta juventus.

Conſilio æterno & corpus mortale juberet
Omnipotens,nexum ſociorum è millibus unī
Divinæ credi naturæ & fœdera firma
Hos potius voluiſſe, homini quàm cedere partes,
Atque Deum imbelli veſtitum agnoſcere carne:
Nec nobis divina placent oracula: ab ipſis
Carpitur haut raro Sapientia cœlica natis,
Et figulum factura docet, ſus nempè Minervam.
Ergò cave, ſanctum quisquis peccando laceſſis
Numen, & antiqvum Geniorum imitâre furorem
Infandumque ſcelus, tecumque hæc pectore volve,
Cum ſubit aut Veneris rabies maleſana nefandæ,
Aut mentem tumido ventoſa ſuperbia faſtu
Inflat & à cultu retrahit verboq; Jehovæ:
Aut amor ille ſui titillat pectora, teq;
Solum admirari jubet,& poſſe omnia ſolum,
Umbram alios vix eſſe tui malè gannit in aurem;
Sive alia avertit volucres ſine corpore mentes
Peſtis & extorres cœlo regnoq; Jehovæ
Fecit: ſollicitè hæc, inquam, volve atque revolve,
Veridico geminus quæ promit Apoſtolus ore;
Si Deus angelicis,quæ peccavere,catervis
Non parſit, Noctisque in tartara nigra catenis
Tradidit,horrendæ ſervandos judicis urnæ,
Si Sodoma ignitis pœnas dedit hauſta procellis,
Et cinis immundus facta eſt fœtorq; Gomorrha,
Primaque diluvio perierunt ſecula juſto;
Ne tibi parſurum mortali ſemine nato

Ne,

Ne, ſcelerate, putes. Sedet æternumq; ſedebit
Lucifer infelix & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis patrium ſuſpirat Olympum.
Sed lapſum hunc, noſtris cum ſeſe craſtina terris
Efferet, octavam Lux & produxerit Horam,
Amplius alterno cantabit carmine cultus
Artibus & primæ decoratus germine lauri
DIMPELIUS juvenis. Tu cujus Epomide Ludus
Splendet & ingenti conſiſtunt publica nutu,
Subtrahe te tantis rebus, parvamq; canenti
Quæſo moram tribue. At capiti vos jungite veſtro
Lumina Athenæi, Doctores atque Magiſtri,
Quosque aptos habilesque ad utrumque Licentia fecit,
Si vacat, atque aures vati præbete benignas,
Sponte ſua ſocium de tantis dicere rebus
Audiet, hæc ſpes eſt, Muſis addicta juventus.

ſequuntur
PANEGYRICI.

Digitized by Google

I.

HYGEA SUCCENTURIANS
HONORI
JOHANNIS STRAUCHII,
Dreſdâ-Miſn.
Cum ipſi DOCTORIS in arte Medicâ
titulus & privilegia ſolenniter
conferrentur.
LIPSIÆ,
V. NON. MAJI A.E. cIↃ IↃc LV.

NOndum deſierat morborum texere cauſas,
Occultumq; lui ſemen ſparſiſſe futuræ
Corpus in humanum Stygios Morbonia cenſus
Auctura, atque hominum cœtus, quando iſta ſedebat
Mens animo penitùs, partemq; juvabat in illam
Horrida tempeſtas hyemis, Solisque labores,
Auratos picea tecti ferrugine crines,
Et crebrò in miſeras undantia flumina terras
Limoſiq; lacus, poſt belli fata necesq;
Imminuiſſe volens; cùm ſentit Hygéa furorem,
Servatrix hominum, noſtros dea provida in uſus.
Et mites legiſſe jubens fila aurea Parcas.
Jamq; intentatam Furiâ grandeſcere cernit
Pullitiem infauſtam, teneroſq; movere lacertos
Paulatim, atque hominum ſeſe inſinuare catervis.
Namque & languentes gelidus tremor occupat ægros,
Et rapido Febris membris furit omnibus æſtu
Querquera, ſucco artꝰ viduans atq; oſſa medullis;
Et quæ gingivis ætati credita priſcæ
Mollibus inſediſſe prius, dentesque voraſſe
Inſidioſa lues, animis & viribus aucta
Nunc vitæ ſanguen rabie effera permeat arcem
Et corpus totum ſibi vendicat. Eſt, ubi multis
Pulmones agitat quaſſataq; pectora Tuſſis,
Et lecto affligit ſolito inclementior: eſt, quem
Duriter, ut nunquam, vexat lapidoſa chiragra,
Articulos frangens veteris ramalia fagi.
Ante alias ærumna potens, ſeu quarta vocari
Eume-

Eumenis, in pavidas ultrix accincta puellas,
Purpura ſive velit ſpecioſo nomine dici,
Seu nondum peſti vox eſt inventa notandæ,
Triſte puerperium petit, & tua, Nixia, turbans
Sacra vel egregias poſt tot diſcrimina matres,
Vel partus truculenta necat. Luxere mariti,
Deſerti in viduo dulci ſine compare lecto,
Triſte malum, pluresq; timent, ſuperabile nullo
Invento Hippocratis, nullaq; Machaonis arte.
Non alia, Japeti natus de gente procaci
Qvum glebas animare putres & corpora vellet,
Poſt ignem æthereis ſubductum ſedibus, orbi
Incubuiſſe cohors viſa eſt, nec promptior iſtâ
Ad cædes hominum mœſtasq; paratior artes.
Ergo, inquit, nunc temp9 adeſt, chariſſima Phœbo
Pectora, ſerpentes per inertia membra dolores
Pellere queis labor eſt, Mortisq; inhibere fu-
rores,
Atque moras nimium feſtinæ ponere vitæ
Septaq;, in adverſos ruituram fortiter hoſtes,
Inſtaurate aciem & ſuccenturiate maniplos,
Morborumque manum, quam cernitis, arte
paterna
Retrò agite inſtantem, vel vi prævertite noſtra,
Vel capite inſidiis. Quid enim? Nihil illa poteſtas,
Quam Deus & melior Natura abſcondidit herbis,
Nil ratio valeat, nil Experientia rerum,
Queis ſteterunt immota diu, inconcuſſaq; fulcris
Regna hæc, & vires hoſtis riſere minasq; ?
An minor eſt tantis fundendis copia turmis,

Deſi-

Denciamurq; viris? Neq; enim tot peſtibus unus
Sufficit Alcides tollendis, unaque virtus.
Solus eras, cum te, fato Junonis iniquæ
Amphitryoniades magni Jovis æmula proles,
Lernæus turbâ capitum circumſtetit angvis,
Argolicos metuens ignes triſtemque ſecurim.
Nec te, præcipiti dum ſaltu immitteris antro,
Et Cacum in tenebris rabiem flammasque vomentem
Corripis in nodum, Caci domus atra remîſſet
Incolumem, auxilii ſi quid latuiſſet in illa.
Lenta hîc materies, & quæ non viribus iſtis
Exſcindi valeat. Sudant fortiſſima ſudant
Pectora, quum ingentem morborum irrumpere nubem,
Et nova cottidiè contagia ſerpere cernunt
Non audita prius, non viſa medentibus, & ſe
Defectos numero vaſta ſub mole relinqui
Ac rude donandos ignota in prælia mitti.
Quid quæro? Accenſis opus eſt, pluresque legendi
In numerum ad tanti delenda incendia belli,
Sternendumque globum. Nec Te dilecte moratur
STRAUCHIADE egregiis ducibus nunc jungere,
Et ſpectata fides nobis & cognita virtus, (cujus
Et labor, & Pietas, & quas pro triſtibus ægris
Suſcipis ingentes curas hominumque ſalute.
Quanquam animarum illæ fuerant prius, & tibi mentem
Euſebies ſtimulabat amor; vicére Medentum
Vota tamen, teque his aptum dixere palæſtris;

Res

Res nota eſt: ſenſére Patres, quos Leucoris alma
Quos Philuréa videt juvenilia fingere corda
Præceptis veterum, aut morbis ſtuduiſſe fugandis,
Atque in non uno mecum ſenſére periclo,
Quid valeas, quantúmque tui vigor igneus extet
Ingenii, & teneris quæſita ſcientia ab annis.
Senſit Erythropelas, ſubitaſque exarſit in iras,
Spectaclo expoſita & terrai prodita Erinnys,
Fronte rubens, oculisq; tremens plenisq; minarũ,
Quanquam ſe victam vidit nec poſſe reniti,
Vultibus, & reliquas eadem metuiſſe ſorores
Exemplo docuit, roburque horrere calentis.
Sic Pater in ſacris terrori eſt hoſtibus armis,
Grandiſono ore tonans, tantum metuendꝯ atroci
Hæreticûm turmæ, quantum Neléius heros
Trojugenûm eloquio verbisq; potentibus olim,
Aut qui fulmineis permiſcuit Hellada dictis
Cecropiumq; aſtu venerabile reddidit orbi,
Immortale decus cathedræ, Svadæq; medulla
Dum vires anníque ſinunt: Sic juris & æqui
Conſultus patriá avertit diſpendia frater,
Mominaq; auguſtis moderatur publica curis,
Principis os Geniusq; ſui, rebusq; gerendis
Scævola conſilians, Themidoſque æterna voluptas.
Sic ait, & veteris pandens laquearia templi,
Quando hinc egregios pugnandiq; arte peritos
Iſſe duces novit, loca viſa tapetibus ornat,
Orcheſtramq; parat. Quò ſe mox arduus infert,

LANGIADAE ſimul ore ſui grave Principis audit
Incani arbitrium, nutuſque agnoſcit heriles,
Æmulus Hippocrati MICHAEL, Podalirius alter,
Et cum WELSCHIADE, cui par conceſſa poteſtas,
Oſtrum humeris, capiti ſolitos imponit honores,
Et belli elato ſigno, rumore ſecundo
Ductorem Medicæ deinceps jubet eſſe catervæ.
Ille adſtans animo jam pugnas præcipit, & ſe
Applauſus inter populi linguasque faventum
Vix tenet, ingenti bellandi accenſus amore;
Jamq; dari hoſtiles ſibi turmas fervidus optat
Obviam, & in fractis oſtendere poſſe vigorem.
Acrior haut Phrygium Martem meditatus in hoſtem
Spumantes concuſſit equos, atq; extulit arma
Turnus avis atavisq; potens, Saturnia poſtquam
Impulit ipſa manu portas, belliq; refregit
Ferratos poſtes, acuitq; in prælia mentes.
Salve Pœoniæ ſalve nova gloria gentis,
Præſidiumque tuæ, quam dudum Fama quadrigis
Multiplici illuſtrem merito factisq; celebrem
Trans Naſamona vehit, trans Gargara, transque gelatæ
Doridos ambages, & non ſine Numine fortis
Huic tanto ſuccede oneri bellique labori,
Cumq; viris, eadem quos tecum cura fatigat,
Hoſtiles elide minas feliciter omnes
Morborumq; agmen, ſive hos nova ſeminat ætas,
Decolor & veteris decoctrix gnava metalli,

Sed

Seu prior ulla tulit. Sic te Morbonia triſtis,
Sic facies timeant atq; averſentur Avernæ,
Et gemat antiquo fraudatus Portitor ære
Raraq; fatorum niſi quæ haut mutanda poteſtas
Trajicere & remis vada livida verrere juſſit,
In ferruginea ſubvectet corpora cymba.

II.

HYGEA MARTIA
Supremis in arte Medica honoribus,
quem DOCTORATUM vocant,
MARTINI FRIDERICI Fries/
LIPSIENSIS.
ET
ANTHONI GUNTHERI
Friederich / Oldenb.
LIPSIÆ,
III. IDus Novemb. A. E. CIↃ IↃC LVIII.

CAſta fave, & noſtris fac gaudia propria muris,
Quæ conceſſa parant, nec læti feſta parentis
Pullo infuſcari texto patere orgia, vel Te
Præcipitem toto detrudi corpore regni,
Aut matrem charorum obitus lugere Minervam
Fataleſq; vias atq; irremeabile ſtagnum.
Ac mihi, ſi nullas temeravimus illius aras
Carmine, non vano nunc omine dicere laudes.
Diva, tuas liceat, quaſq; hoſtica in agmina clades
For-

Formidanda ſtruis felici prodere verſu,
Et benè ſperatis cantu præludere rebus.
Cœperat antiqvum Auctumnus renovare dolorem,
Et vetus ingenium prodens ad priſca reverti
Jurgia, cognataſque odiis animare cohortes.
Jamque in mortales teter ſeſe halitus oras
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat,
Et ſævam Tellus proflabat aperta Mephitim
Menſis in obſequium. Qui poſtquam incenſus ab arce
Extulit armorum ſignum, ſimul omne tumultu
Morborum trepidat genus, & ſe nutibus offert
Indignantis heri. Jam corpora querquerus horror
Concutit, immodicusque calor depaſcitur artus,
Incertus dubiusque ſui: jam turgidus Hydrops
Se parat, & fauces ſtringens Angina patentes,
Et Furor, & coſtas Dolor inteſtinaq; rodens,
Aſthmataq;, & Tabes, & anhelo pectore Tuſſes,
Et frontem caperans Mœror, Joligine natus,
Et peſtes reliquæ, damnis gens facta ciendis.
Advolat in partes ſtridentibus humidus Auſtris
Jupiter, aut ſiccis verrens Aquilonibus auras,
Et nova cotidiè gignendis ſemina morbis
Suggerit irato, ſuccenturiatque maniplos.
Sol ipſe imperio favet, & dum lenta peragrat
Sidera, lance gravi quæ mundo ictuq; minantur,
Triſtior exhauſtis terrarum illabitur oris,
Acceſſuq; nocet. Quæ dum dea ſentit, ab ægro
Pellere cui labor eſt contagia corpore, & artus
Ser-

Servare incolumes hominum ſectamq; ſalutem,
Ergò, ait, in miſeram conjurant omnia gentem,
Et gravis in terras quæ ſpicula torqueat Annus
Semper habet: vixdum Æſtatis ſuperavimꝯ artes,
Et nova jam Autumni nos tentamenta laceſſunt
Defectos jam pœnè viris, & robore regni
Conſumto. Quid enim? Bellone ignobile vulgus,
Quod ſignis paſſim ſe noſtris jactat, & Orbi
Fumum ac vanidicâ vendit mendacia linguâ,
Par erit huic tanto, vel tot venientia contrà
Agmina firmandæ ſatis ornandæque ſaluti?
An quibus ad medium jamdudum perdita Janum
Conturbare fidem res juſſit, ſeq; catervis
Immiſcere meis, tantarum momina rerum
Credenda atq; ſtatu veteri inſtauranda poteſtas?
Quos nunquam Ratio, nunquam Experientia juvit,
Artis fulcra meæ, ſed ſola Audacia in hoſtem,
Expers conſilii, & confidentiſſimus ardor
Miſit, & heu miſeris tentata pericula in ægris.
Ambigo, ſeu priſcos, fortiſſima pectora, Celſos,
Hippocrataſque animo doctumque Machaona volvo
Invictosq; viros, quos poſtera ſecla tulere,
Jam rude donatos: ſive altâ mente futuros
Expendo caſus & fata inſtantia mundi,
Hoſtileſque minas; Phœbine potentibus herbis
Vis erit ulla ſuper, morbis dein apta fugandis,
An nulla ægrotos Spes reſpicit, & malè multos
Antè diem rapiet duri inclementia Lethi?

Quie-

Quicquid erit, tẽtanda via eſt, quà antiqua furores
Aſſerere hos contrà valeam moderamina, & Orci
Progeniem noſtro longè depellere regno,
Atq; aliquà humanæ producere ſtamina vitæ,
Ac fati tentaſſe moras, Sin copia nobis
Juſta deeſt, virtus pugnet roburq; virorum,
Exiguos numero quos ſervo, at vivida bello
Pectora. Delectos Grajorum iratus Apollo
Mille necat? Graios præſtet mihi mille vel unus
Regnorum Priami everſor, validiſſimus Heros;
Et plus Sardiniæ, vel quos dat Corſica, ſuccis
Proſit olus parvum, mihi quod Trojana recondit
Pergamus, aut medicis felix Epidaurus arenis
Educat, Idæa vel nutrit Creta ſub umbra.
Non numeroſus erat, ſed erat robuſtus, Athenas
Milite quo mater, populo irritata ſuperbo,
Servavit ſtudioſa ſuas: nec claſſibus æqua
Claſſis, quâ tumidum dejecit ab æquore Xerxem,
Europæq; Aſiam ſummiſit, maxima parvis,
Unius ingenio confiſa atq; unius arte.
Tempus erit, numero quo nos majore ſequentur
Egregiiq; duces, caſtrisq; effuſa juventus
Magne tuis MICHAEL, & docti nobilis armis
LANGIADAE, quæ rarus habet, WELSCHIque potenti
Auxilio & lectis URSINI animoſior herbis.
Nunc ſatis eſt optaſſe duos; populoq; medentum
Præpoſuiſſe rudi, & trepido occurriſſe tumultu.
Dixerat. Ingenti conſurgunt omnia plauſu,
Auſpiciisq; deæ Tyrio cernendus in oſtro

FRI-

FRISIUS, & claro majorum ſanguine cretus
FRIDRICHUS prodit, genti metuendus uterque,
Quam dedit imbrifero pallens Autumnus hiatu
Orbis in exitium, factis illuſtris uterque
Atque olim erectis felici Marte tropæis.
Dixeris, his divam belli committere habenas,
Atque inſtauratis ductores ponere turmis
In morbos voluiſſe veneniferasq; cohortes;
Et ſua jam doctos mirari carmina vates.
Namq; bis octonis acies quadrata Magiſtris
Barbariem contrà quando iret, & inclitus armis
Ætatem ille prior ſuprà ſe ferret in hoſtem,
Et modò Moroſophum, modò Bambaliona tumentem
Sterneret in terram, validũ modò ſtringeret enſem
In Lucumona gravem, divino ex ore ſacerdos
Hæc aliquis Phœbi cecinit, non inſcius ævi
Venturi, & ſtragis dandæ non vanus aruſpex:
Hactenus in Sophica ſe latè oſtentat arena,
Nunc aliam poſcit Virtus tua, Marte ſecundo
Qua rapidæ Febres & conjurata ſugentur
Agmina morborum. Noli trepidare! Medentum
Miſcebunt te ſigna ſuis ultricia turmis,
Et ductus armata tuos optabit Hygea.
Nec minus alterius ſe mollibus extulit annis
Excellens animi vigor, atque exempla ſecutus
Majorum, hortatusq; graves, lauriq; virentis,
Plectendæ capiti, gemino exſtimulatus honore
Maturè tantos alacer ſe erexit in auſus,
Et levibus pugnis pugnandi attraxit amorem.
Nam

Nam velut, Eleo cum jam certamine campum
Corripuere ruuntq; effuſi carcere currus,
Jamque alios alii præeunt metæq; propinquant,
Ad palmæ rapitur per ſeſe incenſus honores
Fortis eqvus, ſolo generoſi pectoris œſtro;
Si tamen hortatu curſum & clamore ſecundes,
Ocyor it longè & felices provocat Euros:
Sic juvenem antiquæ ſtimulant veſtigia gentis,
Et laudum celebratus agon, famæque cupido.
Ante alios incendit avus, quo ſoſpite nondum
Turpe erat, ingenuas rebus præmittere Muſas,
Et fari didiciſſe prius, quàm fanda patrare:
Nec Syrus Tiberi ſeſe miſcebat Orontes,
Aut primas juvenum curas poſcebat Idume;
Sed nitor, & puræ regnabat gratia linguæ,
Momentum non vile rei moliſque futuræ.
Hoc ille in ſpacio tacito monitore cucurrit,
Hujus ad ingenium didicit prima arma vibrare,
Et tyrocinio ſimilem ſe oſtendere, verbis
Sive Arpinatem audiſſet dulcique loquendi
Pondere, ſeu celſi numeros æquaſſe Maronis,
Seu memores avidæ faſtos reſeraſſe juventæ,
Et ſumma ignotas monſtraſſe ab origine gentes
Regnorumq; vices formidatoſq; Tyrannos.
Pelea ſic animo verſat magnumq; Tonantem
Æacides juvenis, ſic quà domus ardua montem
Perforat & longo ſuſpendit Pelion arcu,
Clauſus adhuc patria ſeſe metitur in haſta,
Et vetita antè Phrygas Lapitharum prælia ludit,

Vix

Vix ſeſe capiens, nec jam contentus, inermi
Collegiſſe manu dubiis animantibus herbas,
Aut celebraſſe lyra veteres Heroas in antro.
Nec vos veſtra capit regio indigenæq; penates,
Egregii juvenes: alias juvat ire per oras,
Et varios hominum mores varioſq; locorum
Explorare ſitus. Quis gentem languor & unde
Vexet, quæ morbis præſtent fomenta levandis:
Quæ Gallo ſit cauſa luis, cur peſtifer Anglum
Sudor corripiat, quid virus tollat, & ægros
Incolumes reddat, ne te, Germania, rurſus
Opprimat improviſa & inexpugnabilis Ate:
Quid teneat noſtrâ diverſum Oenotria terrâ,
Quo reparet luxata modo, quo vulnera ſanet,
Integra diſponat quâ Leproſoria curâ:
Belga quid atq; auris præcellat in arte Batava,
Quæque ſit herba potens ad opem radixque medendi
Utilis his oris. Neque enim fert omnia tellus
Omnis; & in varias ſeſe gens effera formas
Morborum vertit, Lernæâ immanior hydrâ,
Et quas non uno proles Jove digna labore
Edomuit facies reliquas: neq; Delphicus illi
Sufficit, aut vano gladius jactatus Agyrta
Unus in adverſos omnes, multâque fugandis
Armaturâ opus eſt & longâ indagine rerum
Judicioq; acri. Quali te candide FRISI
Cum rigida certare manu non tempore parvo
KYPERUS docuit, Lugduna nobilis urbe,
Artificesque alii, ſive hos decernere morbis

Terrarum dea Roma videt, ſeu docta coërcet
Urbs Patavi, inciſo ſeu Sequana continet arvo.
Teque adeò, FRIDRICHE, potens AMENDUS in arte
Pœonia, & longo dux CONREDINGIUS uſu
Pollens, KOPERUSque ſagax & MOEBIUS acer
Hoſtilem in cuneum: quorum vel nuncia multum
Litera, vel prompto juvit præſentia vultu,
Et data in ancipiti conſulta ſalubria pugna:
Qualia vel ſcripto Comes ipſe, vel urbe vetuſta
Laudavere patres & qui rigat arva Viſurgis.
Jam tunc conſpicuus, jam tunc venerandꝰ uterq;:
Spondebatq; duces animi vigor igneus, & mens,
Atq; è longinquis collecta ſcientia terris,
Et peregrè ſpectata domiq; interrita virtus,
Turbâ aliena rudi. Qualem ſub veſte tegentem
Sicam & mortiferum dulci ſub melle venenum
Olim ex Euganeis Germanas mittere in oras
Collibus & pulchrè ſvaſit deludere gentem
Sannio vindictæ cupidus nummiq; doloſi.
At reduces (vidi) ſolo gens pallida nutu
Eminus expavit. Latet intrà viſcera peſtis,
Et latere ac coſtis ſe munit perfida noſtris,
Acre malum doctis, Cacum dixere minores.
Hoc hoſtem ut ſenſit ſeq; illo expellier antro,
Non aliter timuit, quàm qui tria rupe ſub alta
Colla canis vidit, quem non pavor antè reliquit,
Quàm natura prior, ſaxo per corpus oborto.

Quid

Quid cerebrum infeſtans & celſam corporis
arcem
Attonitus Stupor? Ingenti cadit ipſe ruina,
Obſeſſumq; caput velut ictus fulmine linquit,
Seq; dat ipſe ſibi pœnas. Nec cætera vires
Suſtinet, aut juvenes, calidiſſima pectora, per-
fert
Deſertâ ſtatione phalanx. Flet portitor ipſe
Horribili ſqvalore Charon, cenſuq; minutus
In ferruginea rara abdit corpora cymba,
Et ſibi jam naulum duplicari ſordidus optat.
Salvete ægrorum ſpes & ſolatia uterque,
Luctificique gregis terror! tantique volentes
Muneris egregiis proferte inſignia factis,
Atque alter Boſios, nulli virtute ſecundos,
FRIDRICHOS alter referat magnosque SUI-
TEROS,
Et felix ſobolem, Venus hoc & pronuba Juno
Audiat & Lucina favens! transfundat in ipſam
Nobiliore ſatu generis præconia tanti
Æternumq; decus. Vobis ſe dedicat ultrò,
Fortunata dyas, & regnum credit Hygea
Martia; at in veſtris ſpem Patria collocat armis,
Hinc Muſis Philurea potens & mercibus, illinc,
Heroë at quanto! COMITE Oldenborchia
gaudens:
Jamq; ob ſervatos meditatur præmia cives
Atque immortales deſignat vertice laurus.

AT. TU. QVI. LEGIS. HÆC.
QVI. SPECTAS.
SI. LEGIS. AUT. SPECTAS.
MILITIAM.ESSE.VITAM. MEMINE-
NERIS. OPPUGNATORES MORBOS.
AUXILIATORES. MEDICOS.
ARBITRUM. DEUM.
AC.PROIN.
MEDICUM. HONORA.
ET.
MEDITRINALIA. HÆC. SACRA.
AMA. SUSPICE. ÆSTIMA.
INVITATUS. VERO.
ANTIQVA.FORMULA.UTERE.
ET.
NOVUM. VETUS. VINUM. BIBO.
NOVO. VETERI. MORBO MEDEOR.
DEMTA. SUPERCILIO.NUBE.
AC.
FRONTE. EXPORRECTA.
CANE.
HILARIA. SUNT.
VEL. SI. MAVIS.
MARTINALIA.
SED.
LIBERO. QVAM. MARTE. DIGNA.
EXCEPTO.UNO.
EXESSE. JUBE.

ET.

ET.
VERECUNDUM. ILLUM. HOC.
PROHIBE.
DE. CÆTERO. VIVE.
SIVE. MEDICE. VIS. SIVE. MUSICE.
UTRUMQVE. LICET.
UTRUMQVE. PRODEST.
QVANDO.
MEDICO. PRÆSENTE.
NIHIL. NOCET.
PRÆSENS. VERO. HIC. PLURIMUS.
ET. PRÆSENTEM. ATQVE. DEFECATUM.
ANIMUM. POSCIT.
OBSECUNDA. QVIA. PLURIMUS.
IN. ALIIS. QVIA. PLURIMUS.
NE. OBSECUNDA.
NEMO. ENIM. HODIE. NON.
MEDICUS.
QVOD. TU. SI. FIDEM. ABNUIS.
EXPERIRE.
ET.
POLITICO. SCHEMATE.
CAPITE. OBNUPTO. ODONTALGIAM.
FINGE. AUT. CRURE. FURIARUM.
QVARTAM.
ACCURRENT. OMNES. CONSILIABUNTUR. OMNES. EXPERIMENTA. E.
PERA. SUA. PROMENT.
OMNES.

FINGENT. SE. MEDICOS. OMNES. IDIOTA, SACERDOS. JUDÆUS. MONACHUS. HISTRIO. RASOR.
ANUS.
MILES. MERCATOR. CERDO. NUTRIX.
ET. ARATOR. IPSAQVE. ADEO.
QVASILLARIA. SORDIDISSIMA.
FAMILIÆ. PARS.
SED.

HI. HYGEAM. NOBIS. PESSUNDANT.
UT. MULTI. DUCES. CARIAM.
MULTI. COQVI. PULTEM.
MULTÆ. POTIONES. CÆSAREM.

TU. PAUCIS. UTERE.
ET.
MEDICORUM. CYATHOS. SI. VIS. BIBERE.
GRÆCA. CANTIONE.

Η. ΠΕΝΤΕ. ΠΙΝ. Η. ΤΡΙΣ. ΠΙΝ.
Η. ΗΜΙΤΕΤΤΑΡΑ.
VEL. POTIUS. PLAUTINA.
TOT. QVOT. DIGITI. SUNT. TIBI.
IN. MANU.
ET. SI. VIS. PLENIUS. MERACIUS.
QVOT. SUNT. IN. PEDE.

ULTRA.

ULTRA. FAS. NON. SIT.
RELIGIO. VETAT.
AD SINGULOS VERO
DICITO.
BENE. VOS. BENE. NOS.
BENE. ME. BENE. TE.
BENE. NOSTRUM. ETIAM.
FRISIUM.
BENE. NOSTRUM. ETIAM.
FRIDRICHIUM.
NAM. BENE. QVOD. FIT. A.
MEDICIS. BENE. PRECARI. MEDICIS. TALIO. EST.
ET. QVOD. IN. APOLLINIS. PROPYLÆO. SCRIPTUM. ETIAM. IN.
HOC. POSTICULO. LEGI.
DEBET.

ΑΩΣΤΟΝ. ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ.

Digitized by Google

III.

OMNIA. OCTO.

Supremis in Utroque Jure honoribus Octo Virorum Clariſſimorum.

Menſe Martio.

A. C. cIↄ Iↄc LVI.

LIPSIÆ.

THEMIDI. AUGUSTÆ.
ET.
Memoriae. AmpliSimi. Honoris.
SACRUM.

VIRORUM.

NON. PLENO. TANTUM. ET. DIVÆ.
HUIC. PROPRIO. NUMERO.
SED. ET. ANTIQVITATE. GENEROSÆ.
STIRPIS.
ET. MAJOR. INLUSTRI. GLORIA.
ET. SUA. SINGULARI. MODESTIA.
AC. VIRTUTE.
ET. HUMANIOR. LITERAR. ATQ.
ERUDITIONIS.
NON. PERVOLGATÆ. LAUDE.
ET. VITÆ. MORUMQ. INTEGRITATE.
SUMMA. ET. OPINIONE. HOMINUM.
MAXUMA.
ET. QVO. UNO. DIVA. NUNC. TRIUMFAT.
CONSUMMATA. CIVILIS. PARITER. AC. SACRI. JURIS. NOTITIA.
PULCERRIMISQ. ÆQVI. BONIQ. ARTIBUS.
AD. INVIDIAM. EXSPLENDESCENTIUM.

Sigesmundi. Fincelthusi.
Nicolai. Creuseli.
Andreae. Brummeri.
Phil. Adolphi. Waltheri.
Jo. Jacobi. a. Ryssel.
Pauli. Hornigi.
Sebastiani. Schubarti.
B. Leon. Schwvendendorferi.

ENO-

Digitized by Google

ENODANDIS. JURIS. LAQVEIS.
CONSILIIS. IN. MEDIUM. DANDIS.
STLITIBUS. COMPONENDIS.
TUENDIS. VADIMONIO. OBSTRICTIS. CLIENTIBUS.
AMBIGUIS. FATIS. CAUSARUM. DIRIMENDIS.
GLORIOSÆ. VOCIS. MOLIMINE.
LABORANTIUM. SPEI. VITÆ. POSTERIS. DEFENDENDIS.
EGREGIO. POLITICO. RE. OPERA. PRUDENTIA. SERVANDO.
NATORUM. FACTORUM.
BIS. BINIS. BIS.
COLUMNIS.
QVOD. PRIMUM. NUNC. A. COMPOSITO. IN. GERMANIA. BELLO.
SEMEL. IPSIS. ACADEMIÆ. INCUNABULIS. REDUX. POTUIT.
EX. VOTO. SUSCEPTO.
L. M. F.
ET.
SOLEMNIUM. VERBORUM.
NUNCUPATIONE. POSTEM.
TENENS.
TERTIO. DECIMO. KAL. APRIL.
AN. ÆR. C. cIↄ Iↄc LVI.
DEDIC.

ExeSſ,

ℷxeSE. VERO. HORRENDI. CARMINIS. LEGE.
ET.PROCUL.FANO. IRE.
*JURIS. COCTORES. LITIUM. DE-
PECTORES.TRICOSOS.BOVINATORESQ.
ORE. IMPROBOS. DURO.*
BONOR. EXTORTORES. LEGUM.
CONTORTORES.COMITIALES.
MEROS.
QVI.SI.NIHIL EST. LITIUM. LITES.
SERUNT. FORI.TINTINNABULA.
SCORTA. POBLICA.
SINE. QVEIS. OLIM. SATIS.
FELICES.FUERUNT.FUTURÆQ.
SUNT. URBES.
CATONIO. QVAM. DONO. DI-
GNIORES.PRÆCIAMETATORIS,
VOCE.
IUSIT. E DIXIT.
COLLEGII.ANTECESOR.ET.IUSTITIÆ-
SACERDOTUM. VICEM. FUN-
GENS.GERMANA.SOROR.
PAX.
EXSUNTO. PROFESTUM.VULGUS.
EXSUNTO.
VILISIMA. CAPITA. FORENSIA. PECORA.
TOGATI. VULTURES.
NEQ. LIMEN.HOC.UNQVAM.AT-
TINGUNTO.

PRiſcus ab integro doctorum naſcitur ordo,
Et juvenes renovatus honos majoribus æquat;
Ebria Sarrano jam veſtis fulgurat oſtro,
Eunomiesque manu proceres legumque potentes
Purpureos ſumunt habitus, cinctumq; Gabinum.
Jam caput octonis ſolito formoſior ambit
Infula tincta Viris: atq; effulgentia latè
Terga Quirinalis trabea integit, & grave vellus,
Quod par Phryxéo raperes Pagaſæa juventus
Cyaneos æſtûs per & invia ſaxa fretumq;.
Jam lautos pueros leges Junonis alumna,
Et decus & proprium ætati largita vigorem,
Ludere, & auratos pompæ per compita faſces
Antetuliſſe jubet. Aperit jam feſtior annum
Atq; oritur cum luce nova, cum mollibus aſtris,
Clarior ipſe nitens, matriſq; ſuperbior aurâ
Menſis Acidaliæ, confinia proxima Lunæ
Temnit, & inſani jam non vult Martis haberi.
Non alios tenera naſcentis origine mundi
Crediderim fulſiſſe dies, cum cæde madentem
Nondum Virgo pudens Pietasque reliquerat orbem,
Et grave vix natus jus balbutiret alumnus,
Grandior exprimeret. Dedit hoc primordia rebus
Ver geniale novis & caſto ſemina mundo,
Improbitas niſi tempus iners turbaſſet, & ætas
Decolor ac primi decoctrix prava metalli
Exiguo fas atque nefas diſcrimine haberi
Juſſet, & innocuum ſcelus importaſſet in ævum.
Exul-

Exultent leges Latiæ, gaudete curules,
Et pavidis exoſa reis prætoria, tuque
Curia præſidio jam non mœſtiſſima tanto
Pone truces vultus, teque exhilaratior effer.
Vosq; ad Agenoridæ trepidi ſancita clientes,
Cæditiiq; minas & quas movet Æacus urnas,
Quæ vos cunque tenent donandæ hoc munere terræ,
Quæ ſiſtenda tenent vadimonia, ſive feroci
Ore laceſſierit, ſeu vos Injuria facto
Effera, & in ſanctos inflammatiſſima mores,
Abjicitote metus, triſtemq; exporgite frontem.
At Philure gemino jactantior æthera pulſet
Noſtra ſono, plusq; ante alias caput efferat urbes,
Et ſibi præcipuum tanti ſplendoris honorem
Vendicet atq; decus, vel nutrix blanda vel altrix
Formatrixque virûm, atque animi morumque magiſtra,
Jam voti damnata ſui, jam indepta laborum
Optandum pretium. Conſumta eſt fabula parvis
Cantata Aſcaniis, cum ſeſe mollior ætas
Exemplis incenſa patrum, vel rebus avorum
Egregiis excita, ſuos animaret in ortus,
Atque animum ante annos gereret curamque virilem,
Ardua anhela petens, ſpe præludente parentum,
Et dibaphos aptante humeris apicesq; capillis
Non vano augurio, nec deficientibus annis;
Et promiſſa diu nunc cernunt oſcula cives.
Ipſa ſed immenſi reparatrix maxima mundi

Alma Themis, mœſtos jam non ſubtriſtis ut antè,
Attollit vultus, & poſt ſqvalentia muſco
Limina, poſt vacuas ſtanteſq; ſine ignibus aras,
Quas mala proluvies belli & cataracta nefandus
Deucalionæâ pluviâ atque ultricibus undis
Haut minor, & ſimili loca fœdans omnia limo,
Liquerat incultas, Myſio miratur in orbe
Eductam cœlo molem poſteſq; ſuperbos:
Templum auguſtum, ingens, totidemque inſigne columnis,
Quot Catana, ardenti nimium vicina Typhæo,
Fatidico poſuit famæ monumenta perennis
Tiſiæ, opus mirum, & numero ſpectabile ab uno.
Veſtibulum ante ipſum primoq; in limine lances
Apparent geminæ, juſtoq; examine libræ
Faſq; Nefaſq; ſuis herciſcunt ſedibus: illâ
Et lauri & faſces, factorum præmia; at iſtâ
Cernitur enſis atrox, Phlegyæq; miſerrima imago,
Et centum cunei, tortique Ixionis angues,
Immaniſq; rota, & non exſuperabile ſaxum.
At Parii ingreſſam lapides, ſpirantia ſigna,
Delectant, ſolido & ſurgentes ære columnæ,
Atque auro gravidæ pictæq; coloribus aræ.
Dumq; ita ſede nova gaudet, ſtructamq; ſorori
Imputat Irenæ, viſumq; per omnia verſat,
Hic FINCKELTHUSIAE clariſſima nomina gentis
Marmore ſculpta videt, vereteſq; agnoſcit amores,
Seq; ipſam in nato. Sic namq; per infima ad iſtos
Graſſari juvenem jus faſq; putabat honores.
Primos caſta dedit Sophie, dedit alta ſecundos
Curia,

Curia, ſed lentis ducens ad ſumma quadrigis,
Et ſcriptum Auſonio feciſſe, haut more Pelaſgo,
Ac calamo excepiſſe prius, quàm condere leges
Atque edicta jubens, orbisq; præeſſe puſillis.
Nunc puteal tenet,& cauſas ac crimina diſcit,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitq; fateri,
Majeſtate potens, veri incorruptus amator,
In ſontes rigidus, nulla exorabilis arte,
Nullo flexibilis palpo, gravis, omnibus idem,
Omnia juſtitiæ ſimilis vocemque manusq;
Atq; acres oculos, formidandamq; ſecurim;
Sive quis alterius nudato ſtruxerit enſe
Inſidias jugulo, ſeu furto nocte ſilenti
Compilarit opes, ſeu famam læſerit ore,
Sive aliud brevibus Gyaris & carcere dignum
Tentarit facinus. Vidit Luſatia, vidit,
Nobile in Enſiferi poſitum ditione tribunal,
Quid poſſit magno virtus emiſſa theatro,
Quàm propè contingat famæ monumenta pater-
Filius, & ſimiles animo exardeſcat in auſus. (næ
Non procul hinc aliâ cernit progreſſa columnâ
Artifici radiare manu cœloque polita
Nomina Creuselii, & dextro res Herculege-
Lætitiæ argumenta novæ ſortisq; futuræ (ſtas,
Haut tenue indicium. Teneros nam ſuſpicit annos
Immerſos ſtudiis, indefeſſamq; juventam,
Socraticas inter curas doctumq; Lyceum,
Et laurum geminam, &, laudum inſtrumenta
ſuarum,
Pontificum tabulas, immenſa volumina legum

Emen-

Emenſa,& quicquid chartis inſigne verendis
Induperator habet bardique ſcientia Baldi,
Defenſosque reos. Sed ſummo margine ſcriptos
Invenit æternâ mactandos laude Patronos,
Berlichios ſtudii autores, mitesq; Severos;
Quorum nulla dies benefacta ſilebit in ævum.
Nec tua ſe condi patitur clariſſima Virtus,
BRUMMERE, ô caſtæ decus immortale Themiſtos:
Emicat, & Divæ cupidos invitat ocellos,
Ut Phœbi medio nitidum jubar æthere fulget,
Et,radios quaquà verſum jacit, obvia ſtringit:
Seque legi poſcit, quanquam nec poſtulet omnis,
Nec queat ipſa legi, campo gaviſa patenti
Semper & anguſtis includi neſcia clathris.
Longa mora eſt vario terras ſub Sole calentes
Noſcere, & Heſperium Eoo junxiſſe cubile:
Sarmatiæ viſos populos gentemque Batavam;
Et regum toto cantatos orbe Britannos
Infando excidio,Galloſq; his fœdere junctos,
Helvetiosq; & quas colit acer Rauracus oras;
Bis denos ludos, & perreptata Lyceis
Addita quæque ſuis Muſarum æraria,& illud
Aureliæ egregia Germanæ pubis in urbe
Lene datum regimen. Differt hæc Diva tueri,
Et repetenda ſuæ ſervat feſtina quieti,
His contenta bonis, regnis quæ certa ſtruendis
Fulcimenta videt feſſisq; levamina rebus:
Non immaturam pepuliſſe in Roſtra juventam,
Et cruda in cathedras ſtudia,omnem mente matheſin

Exhau-

Exhauſiſſe prius, Sophicasq; oluiſſe lucernas,
Quàm Legum tentaſſe vias Juriſq; reperta,
Cauſarumq; ratem fragilem immiſiſſe profundo:
Et quæ plura oculis quanquam properantibus
haurit,
Plura ſibi ſuperare videns, nec paupere acerra
Deucaliona aliquem tetigiſſe aſpergine poſtes.
Nam, quæ iſtam ſequitur, WALTHERO ſacra co-
lumna eſt,
Oſtentans ſimili tractatas ordine leges,
Et digeſta ſuis momentis ſingula & annis.
Primus ab auguſto dat Cæſare nomen alumno,
Alter ab edictis: tum Papiniane ſequentem
Signas, atq; Lytam poſt te Prolytamq; relinquis,
Qui queat Herculeos jam legum ſolvere nodos,
Et cauſas orare graves, ac judicis urnâ
Attonitos texiſſe reos, preſſosq; levare,
Non ſuſpecta loquens, non verba bilingvia, ut
olim
Mangones capitum fortunarumq;, togati
Vulturii, quibus os & frons eſt ferrea, promtus
Ad fraudes varias animus litesque ſerendas:
Quorum forte levis nares afflaverit aura
Marſupii, nullus pietati, nullus honeſto
Eſt locus, & tabulas contra teſtesq; vel ipſe
Jupiter atq; lapis jurantur Styxq; refuſa.
Nullum horum in ſancto dea cernit nomine, nullũ
Invenit in pila ſcriptum; verùm omnia cocco
Digna, & firmandis deinceps aptiſſima rebus,
Si qua Fata voleat hæc munera propria terris
Effice-

Efficere, & ſolidam Divæ conjungere Pacem.
Viſere & ad reliquas tendit, Sed quis mea luctus
Gaudia, quis pullus turbat color, inquit, & iſtam
Sindone tam pulcram potuit velare columnam?
Aut latet hoc aliquid forſan ſub tegmine? Caſtas
Admovet ergò manus leviter, veloq; levato
RYSSELII præclara ſui facta atque labores
Cedro ſcripta videt, gaudetq; hilarata repertis.
Namq; olim ſtabili cum nondum ſede recepta
Stagna per & terras erraret pulſa Gradivo,
Cum juvene externas pariter comes ivit in oras,
Occultisq; egit ſtimulis tentare Batavos,
Et cum Salmaſiis, cum Vinnis atq; Schotannis
Heinſiadisq; graves audire & reddere voces.
Trajicere ad Gallos, & decantata locorum
Nomina Pariſios, vel quas Liger alluit urbes
Salmurium, Aureliam cognoſſe. Itala arva petiſſe,
Et quantum à veteri nova diſtet Roma, quid un-
Imperet Adriacis, priſcæ quæ gloria Senæ, (dis
Parthenope nomen quid mutet, diſcere, & artes
Mirari varias hominum moresq; politos,
Juraq; ad exactam diverſa expendere lancem
Ingenii, quid quæque ſuis ſervata colonis
Proſint, quid noceant neglecta aut ſpreta ſuperbis.
Nunc juvenem patriis lætatur ſiſtere in agris,
Et Philuræ ſervare decus. Ter quippe quaterq;
Conjicit in notas virtutes lumina, &, ô ſi
Depoſitis liceat lugubribus iſta videre,
Inquit, & abjecto florentem cernere panno!
Vellet & illa oculis, arcu quæ ſculpta propinquo

Heu

Heu fato ſimili vicina obtexerat umbra,
Expoſita eſſe magis. Nunc conſcia ſola decorem
Æſtimat Hornigii, tacitoque, modeſtus ut ipſe
eſt,
Percenſet ſtudio, quis molles finxerit annos,
Quæ puerum ingenii vis ad ſublimia tantum
Duxerit, & ſimili incenſos ardore ſodales
Non parvo impulerit ſpatio liquiſſe: quid ævo
Pubere non unâ pulcherrima tempora lauru
Cinxerit, & magnos maturè armârit in auſus:
Quantus ad antiquas pariter pariterq; recentes
Inflammarit amor tabulas, ſeu tinxerit illas
Sanguine fortè Draco, ſeu mitior urna Solonis
Ediderit, ſeu Roma potens volventibus annis
Auxerit, & fixo populo præſcripſerit ære;
Seu Lacedæmonio non ſcriptum addiſcere ritu
Jus aliquod verum fuerit. Sed & illa, nigranti
Peplo immerſa, animo ſecum tacitiſſima volvit,
Quæ Labeo doctis aliquis concredita chartis,
Aut rigidæ Lugduni aræ, vel Tarpa, vel ipſe
Gellius, Aonia cenſor non futilis arte,
Ipſe vel & Livor, rumpantur ut exta, probârit:
Quæque aut diſcentum calami excepere volantes,
Aut affecta forum vidit, rigidumq; tribunal
Patris ad exemplum magnum ſpirare Patronum,
Vel magno dignum promittere Principe Conſum.
Sic cùm Nox fuſcis tellurem amplectitur alis,
Aut trepido germana ſoror fratrem invidet orbi,
Ereptum ex oculis verſamus pectore Solem,
Reddendiq; iterum jubaris ſpe damna levamus

Inter-

Interea. Et juvenem ſuus olim nempè manebit
Splendor, & hæc mecum mirabitur alta Vetuſtas.
Sic ait, & SCHUBARTE, tua virtute coruſcam
Vicinam rutilare videt ſpectate columnam,
Et longè lateque novis ſe prodere ſignis.
Gaudet, & , hoc omnem conſumſit ſedulus artem
Marmore Praxiteles, inquit. Capitolia majus
Ecquid habent Jovis, aut Coi ſacraria templi,
Aut Cnidus Idaliæ Veneri ſacra, aut Paphus alta?
Nec Satyrum incendi trepidosq; Cupidinis arcus
Jam tolli metuat : Manet æternumq; manebit
Artis in hac tantæ laus:& prius ipſa beatas
Pulſa ſolo repetam ſedes atque eximar ævo,
Nullaq; Carpzovios auratis fama quadrigis
Alta per aſtra vehet, nec Wirthi gloria firmo
Amplius incedet talo, Strauchiq; labaſcet
Immortalis honos , quorum ille indeſide cura
Sectatus ſtudium eſt ; quam dentem huc inferat ætas ,
Et pereat noſtro ſuſpenſum hoc indice honori
Grande Sophos juvenis , vaſtique ſcientia Juris
Jam cathedris,jam nota foro, jam cognita preſſis
Solliciti sq; reis , nec privo in pariete tantum
Nata,ſibi ſapiens, roſaque incluſa papyro.
Quæ ſequitur poſito moles geniata coloſſo,
Spem præter ſortemq; deæ fabrefacta priorem,
Laſſum opere ingenti Steropem Brontemque reliquit ,
Aut de Palladia laquearia ad ardua dextra
Tam pulchrè enituit.Stat Diva,& ſingula viſu

Ex-

Explorans, Geniumne loci magnumq; Parentem,
An natum haut tardis veſtigia preſſa ſequentem
Greſſibus & promtum miretur ad omnia pectus,
Ambigit. Ille deæ renovat ſublimis honores,
Et ſacra arbitriis hæc ordinat omnia juſtis:
Hic annos prægreſſus avum patremq; minatur,
Et ſimili fulget jam dum mactatus abollâ
Par celſo ingenio & generoſi pectoris igne,
Par gravibus curis, & caſti laudibus Æqui,
Quod colit aſſiduè. Talem illum protinus anni
Formavere rudes, & dignum haut molle tiarâ
Oſtentavit iter: viridi ſpectata juventa
Canities animi eſt, admirandumq; loquendi
Pondus, & attonitas ſermo qui duceret aures
Primum, mox rigidâ ferret ſuffragia ſellâ
Permiſtus ſenibus. Tum vocem in verba reſolvens
Salve, ait, ô ſpes una tuæ certiſſima gentis,
Et firmum columen SCHVVENDENDORFERE, meumque
Cum patre poſt lituos mecumque hoc aſſere regnum,
Et longè proferre juva. Sic ille ſuperſtes
Nobis, ſic illi maneas dilecte ſuperſtes,
Et, quos alma tibi formâ confiſa Dione
Deſtinat, his videas aris dare thura nepotes,
Et ſua, bis bina hæc inter bis marmora, quæ gens
Propria Juſtitiæ Samio prognata Parente
Dicere nil dubitet, factis junxiſſe priorum.
Sic ait, oſtenſas & ſe convertit ad aras
Vittato capite & longa cum veſte ſacerdos,

Atque

Atque ita ſubmiſſâ jam non dea voce precatur:
Mite fave cœptis Numen, Themidiq; reverſæ
Propria compoſito poſt tot diſcrimina bello
Eſſe hæc templa jube, dumq; huc ſe vertit & illuc
Hactenus,& certâ nondum dea ſede quieſcit,
Nondum omni patiente jugum nodosq; Gradivo,
Certam hanc eſſe velis. Cœlo ſoror alma recepta
eſt
Aſtræa,octonos & tecum deſpicit orbes;
Has inter liceat totidem illi degere pilas
Diviſo imperio. Juri huc aſſveta juventus
Verbenas,huc dulce merum dotesq; Sabæas
Afferat & ſimili poſthac ſe ſorte propaget,
Ut proles prior illa, lapis poſt terga rejectus
Ponere duritiem cum cœpit & oſſa rigorem,
Lene genus, gratumq; deæ. Hinc quisquis iniquâ
Ate læſus opem poſcit,vel virus atrocis
Invidiæ contra, diræq; tonitrua linguæ,
Auxilium, aut fractis quærit ſolatia rebus,
Et robur dubiis,vel plenas ære Kalendas
Cum vidit, ſteriles Idus & nomina ſentit,
Arbitrium omne ferat,nec ſurdæ ſupplicet auri,
Sed melius certumque magis, quàm Pythia
Delphis,
Plena deo mulier ſeſſore,antrove Sibylla
Edidit, auguſtis reſponſum his audiat aris;
Nulla arcus poſitos lædat Vis, nulla columnas
Deſtruat annorum ſeries, neq; tecta trabesve
Perpluat imber edax, aut impetuoſior atro
Turbine vexet hyems & verſo cardine ventus.

Duret

Duret opus, Siculis quantum non ducta caminis
Moles, aut Phariæ miracula cognita terræ,
Perfectumq; ſuis numeris octo omnia ſervet,
Dum Romana dies, dum menſis curret & annus,
Et ſua Juſtitiæ laus intemerata vigebit
Intactæq; decor Fidei, nec perdita Juſtum
In chaos antiqvum merget Verſutia & Æqvum.
Dixerat, & medio templo manſura reſedit.

IV.

VENUS. MEDICA.

AMPLISSIMO. HONORI.

QVEM.

DOCTORATUM.

VOCANT.

QVATUOR. VIROR. CLARISSIMOR.

PAULI. AMMANI. URATISLAV. SILES.

GABRIEL. CLAUDERI. ALTENB.

JOH. CENTUR. MACASII. VALLE. JOACH.

JOH. GEORG. REINHARDI. LEUCOPET.

SACRA.

LIPSIÆ.

XII. Kal. Novemb. A. E. C. cIɔ Iɔc LXII.

AD.

AD.

GRATIOSISSIMUM-COLLEGIUM.

CONSUMMATÆ. PERITIÆ. MEDICORUM.

D. JOH. MICHAELIS.
DECANI. PERPET. THERAPEUT.
P.P. COLL. PRINC. UTRIUSQ. COLLEG.
ACAD. XVIRI. ET. ARCHIATR.
SAX. ALTENBURG.

D. GODOFR. WELSCHI. SENIOR.
PATHOL. P.P. COLL. PRINC. MAJ. COLLEG. ACAD. XVIRI. ET. PHYS.
LIPSIENS.

D. LEONH. URSINI. PHYSIOL. P.P.
COLL. PRINC. MINOR. COLLEG. COLL.
MED. NORIMB. ADSESS. ET.
ACAD. LIPS. BOTAN.

D. MICHAEL. HEILANDI. OLIM. ANATOM. P.P. EXTRAORD. NUNC.
PRACT. FELICISS.

D. HEINR. ANDR. MENGERINGI.
COLL. PRINC. MAJOR. COLLEG.
ILLUSTR. SCHOLÆ. GRIM.
MEDICI.

PRÆ-

PRÆFATIO.

UNa dies quatuor Sarrano veſtiit oſtro;
AMMANI ſanxit conjugium una dies.
Non poterat noſtrâ non dici utrumque Camenâ:
Viribus illa minor quanquam ad utrumque fuit.
Namque ubi mens MEDICAM verſu celebrare MINERVAM: *
Ingesſit MEDICAM ſe VENUS ipſa mihi.
Dividor, & laudi, clarisſima nomina, veſtra
Detrahere hinc cogor vel tribuiſſe minus.
Vosque adeò, Divam qui jungi vultis utramque,
Hanc veniam Proceres nunc mihi jure rogo,
Si ſunt hæc craſſo deducta Encomia filo,
Nec veſtra in verſu nomina ubique ſonant.
Carmine quòd noſtro non dicta eſt ſola Minerva,
Si minus irata, at craſſa Minerva fuit.

* P. Victoris Lib. de Region. U. R. Reg. V. J. Gruter. Inſcript. p. MLXVII. 3.

[o]

QVis furor, Actææ dum fervent atria Divæ,
Et Sarrana ſacros comitatur purpura faſces,
Idalias miſcere faces & gaudia lecti?
Quis, Paphiæ fomenta deæ, curamque medendi
Tollere, & artifices Sanantum ſpernere dextras,
Ac palmas tenuare graves? Ignoſcite Muſæ,
Si veſtra inſubido temeravimus Orgia verbo,
Atque his inſolitos titulos præfiximus antis.
Non injuſſa cano, nec vatum ſomnia vendo;
Fas modò ſit, tenui verum narrare Camena,
Et non ingrato certamina prodere verſu.
Juſſerat extructum jam ritè aſcendere pontem,
Oſtro conſpicuum, & ſublimi ſiſtere tigno,
Pœonium in morem tunicam ſuccincta fluentem,
Aureaque auguſtam fulgebant poma per ædem,
Atque impacta genis cernebant oſcula cives;
Cum dea, ſucceſſu læta, & felicibus auſis,
Bis binos complexa viros, ſic ora reſolvit:
Salvete illuſtres animæ, mea maxima virtus,
Et doctam exoſæ Libitinæ opponite mentem,
Auctumno quæ ſiſa gravi nunc dira minatur
Omnia, & hæc aliquâ turbare inſignia geſtit.
Tuque AMMANE prior, quo nato Bresla ſuperbit,
Audaces elide minas, tumidæque reſiſte,
Namque potes, ſuccos atque auxiliantia morbis
Gramina jamdudum edoctus, naulumque Charonti
Eripere, & Stygiis cenſum intervertere menſis.
Nec tibi ſola favet noſtris Philurea repertis

Officio-

Officioſa parens, aut vires vendicat iſtas;
Sunt Batavi, ſunt & felices arte Britanni,
Sunt alii, ingenio qui te videre venuſto
Interioris opes Naturæ, imosque receſſus
Scrutari, & reducem non vanâ oſtendere pompâ.
Sortem fata dabunt: & jam felicia Parcæ
Neſcio quæ niveo deducunt ſtamina fuſo,
Atque novo nobis Epitymbia nomine pugnans
Ipſa tibi certam promittit Diva ſalutem.
Alter ades CLAUDERÆ, atque his adſveſce triumfis,
Quos generoſe meres. Plaudet tibi noſter Apollo;
JENAq; ROLFINCKI famâ MOEBIque celebris
Eminùs ad veteris palmam exultabit alumni,
Et Belgæ ingenuæ laudabunt præmia frontis,
Ac te LINDENIIS, te CORNELIISq; ſtudebunt
Æquiparare ſuis, quorum tibi maxima quondam
Surgere in exemplum cura, atq; effingere mores,
Anglia dum cepit, Medicorum ſedula nutrix,
Et, viſâ Oxonii & Londini nobilis urbe,
Vliſſingæ appulſum Germanis reddidit oris.
Ipſa quoq; antiquam virtutem Oenotria tellus
Argutasq; manus MOLINETTI ad ſidera verbis
MARCHETTIq; feret, noſtriq; extollet amorem,
Urbs Venetûm antè alias, Varoq; incluſa tumenti
Et Macra undanti regio Eridanoq; ſuperbo.
Nec, quæ transmiſit, montoſa Helvetia laudes
Amplificare tuas ceſſabit, & aſpera ſaltu
Rauraca, BAUHINIS ſedes nota atq; PLATERIS.

Sic, quâ cœpta viâ eſt, non impediunda recurret
Gloria, in Oceanum rivi ut cecidere minores.
Tu modò funereæ minuiſſe æraria divæ
Hic mecum tantiſper ama, patriæq; roganti
Præſidium & vitæ ſervandæ debita præſta.
Addes te ſocium nobis, dilecte MACASI,
Et, quem fata virum nimium feſtina Medentum
Subtraxere choro, gemina præſtabis in arte.
Ille poteſtates herbarum, ille abdita terris,
Arcanosq; ſinus, lapidumq; innata docebat
Robora, & ingenio occultas penetrabat abyſſos.
Viveret, haut Phryxi ſolus ſibi ferret Jaſon
Vellera, & auricomos decerperet arbore fœtus
Tros Anchiſiades. Vatem ſeſe ille gerebat,
Remigiumq; tibi. Tu porrò audentior ibis,
Auſpicioq; meo, ſic te globus aureus iſte,
Sic data ſceptra juvent, clauſo potiere metallo,
Aureaque, hæc ſpes eſt, moderabere fila ſororum.
Qui mihi ſandapilas, qui cari funeris arcas,
Et veſpillonum lucrum inſatiabile tollat
Interea, REINHARDUS erit, cui ſplendida vitam
Leucopetræa dedit, clarisq; parentibus orto
Lipſia Apollineam non invida contulit artem,
Hayna urbs fortunam facilem, Oſſatiumque maritam.
Pranſus adeſt, (ſed quid titubanti allucinor ore,
Cernere præſentem cum non ſit? Scilicet olim
Pranſus adeſt) templiq; mei non advena pulſat
Limina, nec primas ſpernit temerarius anſas,

Qualis, quem in vicis languentum circulus ambit,
Pharmacopola ſolet, vel duræ frontis Agyrta.
Scit Sophie, ſcit noſtra Sais, quàm perdius olim
Triverit hanc pernoxq; viam, quæ ducit ad arces
Has ſalebroſa meas & ſummo culmine ſiſtit
Certandi haut ſegnes animas. Non improbus ille
Ferales minuit quæſtus, ſed perfidus auget,
Et ſpiſſa ancipiti transmittit corpora cymbâ,
Qui ſaltu volucri graſſator in ardua tendit.
Sic ait, inque humeros injecto exſuſcitat iras
Vellere, Tænario bis tinctâ murice lanâ,
Ut medios olim procurrit belua in hoſtes
Rore, Lyæe, tuo conſperſa, & ſanguine mori
Fortior, & vaſtâ proſternit mole phalanges.
At Venus hæc dudum non æquo lumine cernens,
Seque dolens triſti Libitinæ voce notari,
Lactea quà purâ cœli plaga luce coruſcat,
Æmula, Sola, inquit, medica ſe tollat in arte
Pallas, & Idæo nobis, cum livida formam
Redderet ambiguam jacto dea in æthera malo,
Judice poſterior, tanto præcellat honore?
Et mihi Pæonias herbas vireſq; medendi
Noſſe datum, meq; haut ignobiliore rubentem
Magna ſatu genitrix cœleſti Ops intulit aulæ:
Et me cingit Amor celereſque Cupidinis arcus,
Et triplex blando circumſtat Gratia vultu;
Quâq; olim natum lymphâ longævus Japis
Abluit, haut Phœbi redolebat vivida ſuccos;
Noſtrâ erat illa manu, Dictamno infecta, ſalubris.

Ipſa Jovem ſervo, cum vel Nonacride pulchrâ
Hæret, & acceptos circumfert oſſibus ignes
In faciem Triviæ verſus, vel ſaucius alto
Vulnere Sidonias inter mugire juvencas
Cernitur, & blandis alludere Agenore natam
Morſibus, aut flavis deponere corpus arenis.
Primus amor Phœbi Daphne Peneia; prima
Ipſa ego, cum nullis eſſet medicabilis herbis,
Inſanum charo ſedavi ſtipite amorem,
Et laurum intonſis flexi ingenioſa capillis.
Prima laborantem, quanquam mea furta marito
Detulerat, grato fomento haut dura levavi,
Leucothoe penitis juvenem torrente medullis.
Et medicâ neger arte potens? Quis vulnera neſcit,
Non humili diſtricta manu, non deſide plumbo,
Principis ERNESTI, quis celſi pectoris ignes?
Scyria ſic tenerum virgo flammavit Achillem,
Hippomenem curſu velox Atalanta, ſed auro
Victa meo tandem & doni gravitate moraq;.
Jam dolet ille minus, poſtquam connubia ſanxi,
Et dextram complexa viri, complexa puellæ,
Heroâ ſimiles promiſi ſtirpe nepotes.
Neve putes ſolam ſapere hæc me, haut ulla docentem,
Ecce pharetratos ſtantes ad pulpita fratres,
Gnaviter & charæ matris dictata notantes,
Quantum non avidis Thetidos puer auribus hauſit
Semiferi præcepta ſenis, ſeu traderet herbas,
Sive lyræ modulos, ſeu ſævæ cuſpidis ictum,
Converſâ in graphium celeri plerunq; ſagitta.

Vel meus hic (nato caput ambroſioſq; capillos
Mulcet) quàm noſtras tractat dexterrimus artes,
Callidus ægrotos, quâ læſit, cuſpide amantes,
Sanare & propriis opponere pharmaca morbis,
Pergameo melior juvene & Chironis alumno,
Letalem placidamq; manum quo ſenſit in uno
Telephus, & patrias ſoſpes remeavit in oras.
Nec mihi nulla ſuper diſcentum præmia, nec ſe
Exercet temerè pubes operoſa medendo.
Et frontem Paphio cingit de robore myrtus,
Et noſtra manat ſtlataria purpura concha,
Non lauro minor illa gravi cinctuq; Gabino.
Oſcula quid memorem? quæ non ſua tetrica virgo
Dividit, Idaliis primùm naſcentia in hortis,
Et lato dein ſparſa ſolo. Noſtra illa laboris
Exacti merces, noſtræ ſunt gaudia turbæ,
In thalamis quæ ſtipo ſacris, ſpectante meorum
Haut numero exiguo, latè queis cingor, Amorum.
Quid poma & fulvum digitis ſudantibus aurum?
Hæc quando datur arrha viris, datur arrha puellis,
Et mihi Maſſylus ſervat pomaria ſerpens.
Scilicet & noſtro ſervantur dogmata ludo,
Scitaq;, nil Coi gravibus ceſſura libellis,
Et ſua ab ignavis repetunt præcepta Magiſtri.
Qualia cum tumidis primùm ſe emergeret undis
Fortis inexpertam docuit Leander amicam,
Oenonen Phrygius paſtor, formoſus Jaſon
Dilectam Hypſipylen, vates meus ille Corinnam.
Vultis in exemplo quid poſſim dædala monſtrem?

Jam mihi miſſus Hymen, mutâ celeberrimus arte,
Et feſſis animis ſperatam afferre ſalutem
Auxiliumq; potens, feſtos inſtaurat honores,
Et ſacra indicit teneris agitanda colonis,
Quos paſſim errantes Erycino in vertice cerno,
Ore alacres, ævo ſimiles & mollibus auſis,
Ornatu plauſuq; pari. Nox una ſacrorum
Pronuba diſcrimen faciet; quodq; orbita Phœbi
Lucida collatum vidit decus, æmula fratris
Conciliare ſoror ſexu alternante ſtudebit,
Noſtraq; per mediam rutilabit purpura noctem,
Virgineo Tyrium pulchrè illuſtrante colorem.
Orcheſtram thalamꝰ præſtabit, ſponda cathedrã,
Et ſua pro roſtris dicentur verba, ſed aurem
Qualia in occultam Junoni mollia dixit
Jupiter, aut Thetidi jucundo murmure Peleus.
Materiem Hippocrates, quoniam hanc Diva invida laudem
Eripuiſſe mihi gaudet, dux ipſe medentum,
Præbeat, & medicis paria argumenta palæſtris,
Sexque meus tractet Res voce orator, & omni
Se Celſum ratione gerat. Curatio motum
Noſtra amat, & gratam poſt tentamenta quietem,
Et ducta aſſiduo ſpiramina lenia flatu
Atque reducta ſimul: friget ſine numine veſtro,
Bacche pater, tuq; alma Ceres: utque incipit inter
Aſſenſus vigiles, ſic te, placidiſſime divûm
Somne, novas vires atq; incrementa capeſſit,
Extremo feſſos tangente cacumine virgæ;
Et riſum è lacrimis, è bello fœdera ſancit,

Iras

Iras nequicquam & pugnas ſimulante puella.
Meque adeò me poſſe probet languentibus ægris
Non Coo ſapiente minùs, non Pallade docta
Addere opem, & fractas reparare in priſtina vires:
Quodq; oneri eſt, longè ſecernere, quodq; ſaluti,
Sollicitâ retinere manu, validumq; referre
Corpus, & his ludis noſtris & amoribus aptum.
Sic habito ſermone, & ſic umbone relicto
Suggeſtus alios ſcandat, factusque Brabeutes,
Maternis alacer monitis, juſſisq; verendis,
Oſcula mellifluis pangat fragrantia labris,
Cluſius & fiat libro atque Patulcius, & ſe
Præco gravis nunc has partes, nunc vertat in illas;
Dum planè, edoctam jam noſtras funditus artes,
Nominis antiqui titulum momentaq; mutans,
Doctricem blando pronunciet ore puellam.
Ipſe, marite, nuces, miſſurus munera, ſparges
Aligerûm riſus & plauſus inter Amorum,
Et grato Veneri vinces digitalia dono,
Dilanianda manu vel permutanda rapaci.
Dixerat, & mediæ ſeſe infert aurea pompæ,
Et mirâ inceſſum mutat ratione viamq;:
Quosq; ſequi faſces, ad prandia lauta Minervæ,
Magnificasq; putes epulas, per compita paſſim
Fœmineo ad menſas ſexu properante jugales,
Seq; viris ſociante, ad feſta Hymeneia ducit,
Suppoſitis lepidè pueris, tædâq; micantes
Non unâ faſces referente & ſceptra Lycei.
Ut tetigere domos, calathos jam verterat imos
Obſequioſa cohors, imbresq; operoſa roſarum

Sparſerat, & ſero collectos undiq; flores
Tempore, ſpirantesq; crocos & balſama tecto
Gemmatis effuſa cadis, thalamumq; parârat
Veſtibus ingeſtis picturatisq; tapetis,
Et capto quondam maternis hoſtibus auro.
Qualis ad obſequium ſteterat, cum Lydia dives
Nupſiſſet Pelopi, mollemq; mero ebria Baccho
Indorum ſpoliis & denſis ſtruxerat uvis
Palmitibusq; torum. Tum vultu Æneia blando
Prima manu genitrix dulci probitate rubentem,
Leniter & flexo figentem lumine terras
Sponſam (namq; illi tacitè cor æſtuat intus)
Tangit, & incertos explorat provida pulſus.
Jamq; haut invitè morbum flammasq; fatentem
Tollit, & his ultrò ſancit connubia verbis:
Vivite felices, & noſtro munere vires
Colligitote novas, veteriq; niteſcite formâ.
Oſcula mille ſonent: nec te ſtuduiſſe Minervæ (tu
Quàm mihi, chare, minùs, juvenis, fas; pallida, nec
Penſa magis divæ, quàm noſtra hæc, pollice tra-
ctes;
Franget utrumq; labor. Sin vos incendia rurſus
Noſtra crement, Panacea prior levet iſta dolorem,
Nectaris & Paphii ſucco refrigeret æſtus;
Fons erit illa tibi; tu ſortem ſedulus illi
Præſtabis, generoſe, virum, medicasq; timentem
Fortè manus blandis ſemper ſolabere verbis.
Cætera Noctis erunt; nec juſſo munere fungi
Purpureus ceſſabit Hymen. Vos pectora curis
Emaciata deo & caſtas ſummittite flammas.

ASTRÆA

V.

ASTRÆA REDUX.

Qvum

Titulo ſplendididiſſimo

DOCTORUM

ornarentur

VIRI

Nobiliſſimi & Clariſſimi

CHRISTOPHORUS HARTMANNUS SCHACHER.

JACOBUS BORNIUS.

PAULUS FRANCISCUS ROMANUS.

JOHANNES ERNESTUS NORICUS.

GEORGIUS GUILIELMUS KUHLEWEIN.

JOHANNES CHRISTIANUS EICHLER.

LIPSIÆ

IV. NON. April. A. E. CIↃ IↃC LXIII.

ASTRÆÆ. REDUCIS.
SACERDOTIBUS.
VENERANDIS.
TRIUMVIRIS

Pl. Reverendâ Dignitate, Magnificentiâ, Amplitudine, Conſiliis ac reſpondendi dexteritate, Uſu rerum & meritis in Rempubl. longè eminentiſſimis.

PROCANCELLARIO
GEORGIO TOBIÆ SCHWENDENDORFFERO,

JCto, Facult. Juridicæ Ordinario, Anteceſſori & Decemviro, Electoralis & Ducalis Curiæ ſupremæ Provincialis Aſſeſſori, Canonico Martisburgenſi, Collegii Maj. Collegiato & Nationis Bavaricæ Seniori.

PROMOTORI
QVIRINO SCHACHERO, JCTO,

Conſiliario in Judicio Appellationum Electorali Saxon. Anteceſſori & Decemviro, Conſiſtorii Eccleſiaſtici Aſſeſſori, Canonico Numburgenſi & Facultatis Juridicæ Seniori.

COMPROMOTORI
FRANCISCO ROMANO, JCTO,

Academiæ Anteceſſori & Syndico, Curiæ Provincialis ſupremæ & Facultatis Juridicæ Aſſeſſori, & Canonico Martisburgenſi.

AUCTOR.

Omnia

OMnia jam redeant, atque omnibus omnia campis

Gramina, aves ſylvis, arboribusque comæ:

Cultus agris, flores hortis, pecudi arva, racemis

Gemma, vetus mundo gratia, vita homini.

Vobis Virgo, PATRES. Neque enim ſic illa receſſit,

Ut cœlo nunquam clauſa redire velit.

Illa Salonino, Nato uni, promta redivit:

Non redeat facilis bis ſimul illa tribus?

Atque ille haut patriis rexit virtutibus orbem,

Ut veſtris dudum ſe videt iſte regi.

Nec legere Heroum potuit vel reddere facta,

Æquat ſe ut priſcis Senio veſter Avis.

Fallor, an incipient magni procedere menſes

Nunc demum, & Cumis dicta probare fidem:

Teque adeo, promiſſa olim, te præſule inibunt,

SCHVVENDENDORFFERI, tempora, Juris Apex:

Carrereq; , haut vanâ fatorum lege, jubebunt

Lanifica fuſis aurea ſecla ſuis.

O mihi tum vatem liceat præſtare beatis,

Orphea qui vincat carmine, quique Linum:

Pollio non major vobis, non Muſa Maronis

Muſâ nobilior celſa futura meâ.

NOndum omnis primum decoxit Terra metallum,
Nondum degeneri penitus ferrugine merſa eſt;
Spes Æqui non parva ſuper Rectiq; tuendi,
Et ſua triſte Nefas accidi examina ſentit
Inviſumq; genus. Cœlo es Germania cordi,
Quis neget? Erubuit tanto ſpoliare decore
Imperium Fortuna tuum, dubitataque templis
Rurſus adeſt Aſtræa ſuis, damnisq; ſenectæ
Conſulit, & longis haut orbem exoſa ruinis.
Ergò alacres, quæ jura colunt Romana, cohortes,
Inque ſinum quæ ſæpè Deæ fora turbida queſtu
Confugiunt, Legesq; Urbesq; ubicunq; renatæ
Certent lætitiâ, noſterq; ex ordine Pindus
Confremat, & ſileant pulſæ mendacia Divæ.
Quippe manet longumq; ævo remeante manebit,
Quam penes immenſi fortis cuſtodia mundi;
Nec fatis tantâ ſe fœdent ſecula culpâ,
Omnis ut hos olim fugiat pertæſa penates.
Aſt ego nec feſtis delubra implexa corymbis
Pontificumq; dapes, nec Coo vellera ſucco
Ebria, præſentisq; canam manſura nepotes
Commoda: nec fragili tentabo hæc alta phaſelo,
Queis Virtus auguſta latet probitasq; parentum,
Et genus illuſtre, & venerabile ſangven avorum,
Et propriæ juvenum dotes moresq; decentes.
Sola mihi Reducis pertentant oſcula mentem,
Et tenui verſu, quis cœlo traxerit ardor,
Æmula reddiderit quæ vis, nunc dicere mandant.

Juſſa

Ipſa dabis vires, quoniam haut fas iſta ſileri,
Et juvenum laudi debetur adorea, vati,
Quæ caneris, Cyrrhamque mihi præſtabis & undam.
Sumſerat Idalio medicatum nectare ceſtum,
Quà lactens ſecura deos via cernit euntes,
Et nati ereptum tenero Venus aurea collo
Aptârat manibus, puramq; invecta per æthram,
Curru, quo geminos loro ſociârat olores,
Ardua, Acidalio percuſſerat aera nodo,
Jam terras tactura graves pontumq; profundum.
Quem poſtquã pigra ſenſit humus, nive tecta ge-
Cõſtricta & longis jam pœnè effœta pruinis, (luq;
Liquitur, & caſto Divæ ſe pandit amori
Actutum, thalamumq; parat juſſasq; corollas:
Quáque togam cernit greſſusq; inferre fluentes,
Summittit violas & mixtas floribus herbas.
Tum venti ponunt, & noto carcere Cauri
Adventu pavefacta deæ ſe flamina condunt;
Ac ſolum toto ringuntur in æthere ferri
Imbellem Zephyrum, ſeque abdi fortia muſſant.
Mite fretum antiquos dominæ reminiſcitur ortꝰ,
Pacatumq; ſilet, nec pulchris obſtrepit auſis,
Inſtaurat veteres dum per vada cœrula flammas,
Et pater Oceanus nunc & dominator aquarum
Ille ſuam Thetyn, hic pellicit Amphitriten. (tes
Carmen aves (quis enim ſine carmine junxit amã-
Ullus Hymen, tacitas tulit aut igneſcere tædas?)
Nupturæ iñumeræ occentant per inane volantes,
Et læta in patulis ludunt connubia ramis,

Lan-

Languorem faſſæ ſimilem, ſimilemq; Dionæ
Ignibus & divæ ſuccenſum ceſtibus ignem.
Atq; illa ut reducem jam dudum agnovit Adonin,
Et pacti ſervaſſe fidem, Ditisq; relictâ
Conjuge cœleſtes iterum veniſſe ſub oras,
Salve, inquit, Cynaræ ſalve generoſa propago,
Et mecum hæc anni repara diſpendia felix,
Ut te poſt ſenos, faſtidia triſtia, menſes
Amplector venerorq; lubens! Datur ora tueri
Nunc tua & antiquas audire & reddere voces.
Sic equidem ſperabam animo, rebarq; futurum
Tempora dinumerans, nec me dea ſurva fefellit.
Quas ego te tenebras & quæ per devia vectum
Accipio! quantis jactatum chare periclis!
Quàm metui, Triviæ ne quid tibi regna nocerent,
Neu violentæ hyemes longæque ſub æthere noctes.
Soſpes ades meus ignis, & hoc formoſior exis,
Quò propior noſtris incumbis ſplendidus oris.
Sic ait, & tepidis (nam jam calet) accipit ulnis
Optatum juvenem, priſcosq; recentat amores.
At parte ex alia cœli, quâ vergit in Auſtrum
Signifer & triſtes incurvant brachia chelæ,
Oſcula complexusq; videt caſtiſſima Virgo,
Arbitriiq; memor veteris, juſſoq; reverti
Vere novo gaudens, Non hæc ſine numine noſtro
Non ſine lege, inquit, juſtoq; examine fiunt;
Et mihi ſe vernans debet Natura renatam,
Tempora quæ certo diſpenſo ſingula nutu,
Et juvenem toties revoco cœloq; redono,

Non

Non aliâ ratione magis litique dearum
Invidiæq; medens, dum deperit altera merſum,
Altera viventem ſibi vendicat, & prece totum
Poſtulat, exemplisque fidem non ſubdola firmo.
Scilicet is ſuperis labor eſt, ea ſumma voluptas
Æthereas migrare domos, & ſidera terris
Mutare, ac reduces hominum ſe ſiſtere turbis,
Alternisq; avidas premere atq; extollere mentes.
Area quà ſterilis fuerat, fulgentia latè
Fortunæ reduci nunc ſplendent templa: Jovique
Ara revertenti bove cæſo inſtaurat honores,
Et Panchæa adolet Nabathæaq; munera flammis,
Dum Domiti pietate calet meritisq; ſuperbit,
Nec ſola auguſtis ſervit madefacta triumfis.
Veſtra quoq; Auſonias fumant delubra per urbes
Et toties mœſto faciles rediiſſe Quiriti
Teſtantur, Neptune pater, tuq; edite Maiâ
Aliger, aſſiduo qui laſſas aera curſu,
Et nunc te terræ impertis, nunc aſtra reviſis.
Antè alias Ocno celebris lauroq; Maronis
Mantua & undifrago contermina Sirmio ponto,
Sirmio Scaligeris ſedes regnata dynaſtis
Heu quondam, & tantæ felix nutricula gentis,
Inclyta laudati monſtrat veſtigia moris.
Ipſa ego muto vices, &, quæ me ſidera terram
Deſpectare vident, eadem me terra tueri
Cernit & erecto natales prodere vultu,
Partirique locos. Nam quæ me fabula terris
Abſcidit & totam cœlo ſtellisq; locavit?
Quàm levis illa fuit, quàm noſtro devia vero

Et ferrum mentita merum! Quid enim? integram abeſſe
Momento me finge, Chaos fracta omnia mundi
Antiqvum repetent atq; in ſe lapſa reſident.
Nec patrius tantùm nobis æqualia debet
Libramenta polus, juſtoq; volumine flammas
Ætheris aſſiduâ raptas vertigine torquet:
Phœbe, tuam inprimis, ne vel declinet ad angvem
Dexterior, preſſam neu læva allidat ad aram;
Et toties ſimulata novo ſe Cynthia menſe
Induat in falcem fratremq; ſimillima reddat;
Ipſa meo nimias ponunt moderamine vires
Semina, quæ mutis dant prima exordia rebus
Lunari ſubjecta globo, ſeu ſuſus in omnes
Autorem partes princeps ſe venditat Aër,
Seu vis illa in aquis: ſeu ſurgunt omnia flammis;
Fœdere ſeu placido jungit rurſusq; receptis
Unit amicitiis quicquid Diſcordia ſolvit.
Per me regna vigent: quæ tu poſt triſte metallum
Juſta fuiſſe nega, Nini Cyrique negabis
Imperia & captos reliquis longo ordine faſces,
Græcia ſeu tribuit ſeu Roma æterna Monarchis,
Atq; aliis porrò tribuet, dum crura coloſſus
Pandet, & extremas defendet machina flammas.
Idem & Pontificum tabulas peccare vetantes
Et denis ſervata viris edicta cremabis,
Et plebis pariter ſcita & conſulta Senatus,
Prætorumq; minas tolles: Nec Scævola leges
Nec Cajus nec Paulus agro expoſuere Latino,
Purpura quas pinxit pulchrisq; coloribus uſſit:

Et

Et tibi barbaries urbs tot mihi ſacra per annos
Cyclopumq; domus Tauriq; infeſtior aris.
Per me ſidereas poſt facta ingentia ſedes,
Romulus & Liber pater & cum Caſtore Pollux,
Reddere egena manu meritis æqualia tantis
Dum nequit, & pulchrum Tellus penſare laborem,
Ingreſſi Iliacâ porrectum ſumere dextrâ
Immortale merum gaudent Diviſq; fruuntur.
Per me Cæditius gravis & Rhadamantus Averni
Triſtia regna tenent, ſonteſq; accincta flagello
Tiſiphone exercet, ſubigitq; admiſſa fateri,
Occultata diu, flagriſq; ſonantibus urget,
Hîc volucri tundente jecur, volventibus illic
Saxum ingens aliis, Phlegyâq; monente per umbras
Antè alios clamore gravi, non temnere divos.
Tum quoq; cum cœlo teneor, propiuſq; bilancē
Contingo, terras oculis contemplor acutis,
Et ſeu manè diem roſeis invecta quadrigis
Leucothoe pandit, ſeu clauſo Veſper Olympo
Componit nigraque polum ferrugine tingit,
Obſervo mores hominum viſoſque Tonanti
Nuncio, & ultrices in iniquos poſtulo flammas,
Præmia in innocuos rectique æquique tenaces.
Ergò nulla meo pars mundi numine, nulla
Arbitrio vacat & juſtæ formidine pœnæ,
Si qua vetus mavult ſcelerum rea crimine ferrum,
Quàm primam ſine lege fidem, ſine vindice rectū:
Nec quiſquam ſoli dem me transſcribat Olympo.
Eſt tamen ætherea cùm terris ſede relictâ

Eſſe

Eſſe redux poſſum nihil immutata videri,
Aut patrios repetiſſe lares. Da ponere vitam
Heroâ de gente viros, cœloq; locandos
Legumlatricis cuſtodes ire Themiſtos,
Aut tremere & longâ capulum expectare ſe-
nectâ,
Ad ſuperos abiiſſe ferar, vel vaſa repente
Colligere & rurſus migrare in priſtina velle.
Da functis alios ſimilesq; prioribus illis
Succeſſiſſe loco, clavumq; tenere relictum,
Aut ſenibus junctos vafri veſtigia juris
Olim preſſa ſequi, perhibebor ab axe rediſſe.
Nuncque adeò, feſto dum fervent omnia plauſu,
Atque ire in numerum juvenes Philurea priorum
Cernit & Oebalio Patrum exſplendeſcere cocco,
Aut fato illatam functorum expungere cladem
Ingenio ſimili, me gaudeat illa reverſâ,
Poſtq; octo poſitas iterum ſed grata columnas,
Tiſia quot Catanâ vates acceperat urbe,
Templa deæ referet noſtroq; aſſurgat honori.
Ite meæ, mecumq; leves volitate per auras,
Et, quæ læta parat feſta Urbs, celebrate vo-
lentes.
Agglomeret cum Pace Fides, oleasq; meanti
Spargat, & albenti ſe proferat utraq; panno:
Cumq; Pudicitia Pietas exultet, & auro
Sobrietas nondum orba ſuo ſectetur ovantem;
Et latus invectæ tegat & ſe copulet ultrò
Talio, nata Samo, paribusq; reciproca factis.
Mite Æqvum rapidis nimium ſuccedat habenis,
Et

Et leni arbitrio curſus moderetur anhelos
Aſpera ſive via eſt & per declivia ducit,
Ut clivi & ſalebræ puro nec in æthere nullæ,
Sufflamen valida ipſa rotæ Clementia ponat,
Agmen agat triſti Rhamnuſia tetrica vultu,
Non reliquis minor illa ſoror, tantumque volandi
Ordine poſterior comitumque extrema mearum.
Sic ait, & frontem limbo velata pudicam
Deſerit Autumni portas, liquidamque per æthram
Vecta per occultum Philuræ ſe mœnibus infert,
Et foribus notis mediâ teſtudine templi,
Jam nimbo pleni & præſentis numine divæ,
Conſidet, auratâ ut quondam ſubnixa curuli
Faſq; nefaſq; inter cauſarum examina librat.
Utq; videt juvenes ſublimi in pegmate ſtantes
Sex numero, & patrum juxta ſenio ora verenda
Canitiemq; gravem, vel (ſi quos ocyor aura
Suſtulit & pridem cœleſtibus intulit oris,
Aut umbo ſacer & prætoris detinet urna,
Aut lecto affixos irata moratur Hygéa)
Abſentum expendit geminos in imagine vultus,
Gaudet, &, hic, inquit, reducem me Senio præſtet.
Neve oculos fallat penitùs divina videntum,
Jam converſa ſenem ſimulat poſitoq; decore
Virginis atque habitu canis ſpectanda capillis,
Atq; acres retinens oculos ac mite ſeverum,
Triſtitiamq; hilarem formidandumq; leporem,
Vol-

Voltaque ſancta, caput Tyrio juvenum implicat
oſtro,
Atq; humeros ornat trabeâ & ſuper oſcula figit:
Non quæ in formoſum Venus uſurpârat Adonin,
Aut tacitam Endymion gelida dormitor in herba
Senſerat eripuiſſe deam; ſed qualia charo
Fixerat Anchiſes nato, genitorque nepoti,
Aut dare mater amat ſoboli pudibunda reductæ.
Prima S CHACHERE capis, magnum patris incrementum.
Namq; deam propius contingis, & intima calles,
Ipſa tibi reſerat quæ dudum arcana, penates
Intrà & ſecretis, queis felix fingeris, antris
Non Chirone minus nec Atlante ſupinius alto.
Quanquam & viſa foris facilis. Nam JENA calentem
Vidit amore tui, quantum non Cynthia lucis
Arſit in Egeriæ juvenem medicâ arte refectum:
Et loca inavulſam comitem peregrina notarunt,
Seu te culta opibus rebusq; Auguſta ſuperbis,
Splendida ſeu Monachi, ſeu Norica terra teneret
Sive Iſtri ad ripas ſita mœnia: proxima Rheno
Sive urbs, antiquas quà dividit Ella Treboces,
Turrim oculo ingereret templiq; oſtenderet artem:
Seu vites Baſilea ſuas Muſasq; Tubinga.
Abſuit haut unquam, & jam longius ire volentem
Ad pluteos veteres & ſacra antiqua retraxit,
Sectariq; forum & lites componere juſſit,
Altera, nec ſummis, impertit ſavia, labris,
BORNE, tibi, æternum Patriæ decus atq; voluptas,
Et

Et generis ſpes una tui. Quam protinus anni
Oſtendére rudes, annisq; puertia major,
Jam tum dulce tibi rebus præludere tantis,
Ingenioq; deam docili curisque mereri,
Et magnum antiquâ virtute referre parentem.
Pieriis ardes ſtudiis multoque redundas
Eloquio: mutas nec planè deſpicis artes
Expertesq; fori. Nec quas Prudentia poſcit
Non tamen eximias reputas cunctisq; priores.
Namq; has præcipuè colis, atq; haut vana parādo
Eundamenta locas operi, moliq; futuræ,
Surgere paulatim quam Lipsia cernit in auras,
Et ridere imbres ac nubila ſpernere Jena.
Jam Soles alibi quantum adjecere calentes,
Quàm mentem poliere bonam pulchrasq; regen-
Artes, & varios dederunt cognoſcere mores, (di
Quàm junxére deæ, quā celſas templa per urbes
Occupat atq; Aquilæ poſſeſſa biverticis æquat,
Aut tranſgreſſa viam eſt! Nam te nō Rauraca tan-
Tellus, atq; animi mirata Alemannia dotes, (tùm
Aut Ubii, & Latiæ matris tenuere coloni;
Et Batavis divine places doctisq; Brabantis,
Mechliniæq; foro, quod vel gaudere patrono
Te mallet, blandis nî civem Patria verbis
Poſceret, & gravibus damnaret Curia rebus:
Queis generoſe vacas, nec te vel Murcia tantis,
Vel gula, delitiis intenta, unquam avocat auſis.
Pars vitæ tibi nulla perit: quodcunque recedit
Litibus, incumbit ſtudiis, animusque viciſſim
Aut patriæ rebus ſtudet, aut ſe vendicat arti,
Gran-

Grande aliquid (vitam ſuperi ſervate) minatus,
Et dignum Maro ſole tuo facunde cothurno.
Tertia ROMANO dantur, juveni ære vetuſto,
Et propria virtute gravi factisq; priorum.
Quæ dea dum fixit, Multis hæc intulit, inquit,
Olim avus & noſtros prudens libavit in uſus,
Multis ipſe pater: prolem quoque fata ſequentur,
Continuum ſimili ſervantia lege tenorem.
Nec me patritiis felicius incluta Lunis
Roma colet, ſobolemque meo protrudet honori,
Haut ruptâ ſerie nec conturbantibus annis.
Hîc Decios, hic Sulpitios Cajosque videbo
Et cauſas orare, & legum ſolvere nodos,
Et dare ſvaviloquo reſponſa clientibus ore.
Nec dubitare pudor caſtiq; modeſtia vultus,
Et gravibus curis animum ſortita ſenilem
Ignea longævo permittit corde juventus.
Ipſa aſſveta foro victrix opulentia linguæ,
Et miſti cum lacte favi, præſagia firmant,
Quæ vel Sala dedit vel ripâ egreſſus Elyſter,
Ingenio fiſus veterumq; æqualibus auſis.
Tuque adeò longos in nato cerne nepotes
Nunc pater, & primos carpe hinc placidiſſime fructus,
Venturæq; tuæ ſolatia finge ſenectæ.
Cum tibi nutabit feſſis cervicibus æther,
Subſtituiſſe humeros volet hic oneriq; ſubiſſe.
Ac veluti mediis volucris Phœbea favillis
Surgit, & ex ipſo reparat ſibi pulvere vitam:

Poſt

Poſt cineres ſic iſta tuos fax ſurget,& ipſis
Verticibus laudum ſe celſior efferet ales.
Dixerat, & quarto tibi, NORICE,pangit amoris
Signa ſui, libatq; genas & circinat ulnis:
Nec minus hos debet reditus, atque imputat aurum (virtus
Rurſum orbi illatum, quàm quos patrum æmula
Conciliat vaſtumq; jubet legum ire per æquor.
Urbs eſt, imperio priſcis habitata Cheruſcis,
Herciniæ vicina plagæ ſeptemq; trioni,
Tyrigetum claudens fines, non ubere glebâ
Quàm juſti atq; æqui celebris magis artibus & vi.
Hinc, ait, hæc noſtris nunc ſurgit gloria rebus
Egregiusq; decor. Nec ſaltu irrumpit inani,
Aut Sophie te blanda ſoror teq; inclita ſpernit,
Quâ ſine nulla fori nobis commercia, Peitho.
Pranſꝰ adeſt, GOTHAEq; pio prius ore magiſtros,
Quàm FRANZKI te magne refert. Falluntur inertes,
Et ſine remigio, ſine velis cœrula verrunt,
Inconſulta forum queis feſtinatio pandit,
Et ſpes ambitio donat malè credula. Primos
Ille animi Latiæ flores Graiæq; loquelæ
Mæonioq; dedit fœcundo pectore fonti,
Mox & Socratico plenas immiſit habenas
Liber,& ingentis rapuit Demoſthenis arma.
Tum RITTERSHUSIOS demum KOBIOSque potentes
LUDVVELLOSq; animo verſavit, & alta CREGELI
Dogmata non vano metam ſibi cenſuit auſu:

Atque eadem inſignes poſt viſas Teutonis oræ
Urbes, poſt varios ærumnoſósq; labores
Holſatosq; inter ſumtos Danosq;, juventæ
Aut uſu rerum aut doctrinâ congrua nobis
Expoſuit, famæ tantorum haut degener hæres.
Hinc KUHLEVVEINI lateri ſe jungit & ori,
Et patrem in nato agnoſcit ſolitumq; vigorem.
Namque hunc tantarum non frangi pondere rerum
Quis dubitet? Gemit ipſe polo fortiſſimus Atlas;
Atq; uſu ferrum teritur. Da currere campos
Sæpè per Elæos palmæq; oſtenſa mereri
Præmia, ad extremum ſonipes tamen ilia ducet.
Quæque humus haut vacuâ ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis reddendis laſſa ſeneſcet.
Firma ſit & rapidos contra tutiſſima fluctus,
Si nunquam in ſiccas ſubducat machina arenas,
Debilis immiti ſolvetur in æquore puppis.
I ſuccede oneri: non ſarcina parva parentem,
Non moles toleranda premit. Tibicine fultus
Longius hoc patriæ poterit ſupereſſe dolenti,
Et curâ abſumtas reparare in priſtina vires.
I gentis ſpes celſa tuæ, vegetamque juventam
Impende, & palmas in te rediiſſe priorum
Meque doce. Subit illa tui dulciſſima imago,
Quæ tanti matura dedit mihi ſigna decoris,
Qvum modò Cecropiæ peteres ſecreta Minervæ,
Auſoniæ coleres modò grata affamina linguæ,
Et Svadæ melioris opes: modò culta Sophorum
In tempe greſſus ferres, propiusque videres,
Natu-

Naturæ ſoleant quæ res tranſcendere metas,
Quæ moveant ipſam momenta: an certus in aſtris
Error, quæ nubes teneat vis; fulmina quantum
Torti imbris poſcant, quantum Auſtri & nubis aquoſæ
Et rapidæ flammæ, Cyclopum affecta caminis.
Quæ ſit norma boni tandem, quis limes honeſti,
Quæ cives deceat virtus, quæ commodet urbi,
Quæ validè poſſint ægræ fomenta mederi;
Sicq; adeò noſtris te ſacris ritè parares,
Et dignum titulis faceres, quos Leucoris alma,
Inclita ZIGLERI moderamine Leucoris, olim
Deſtinat & læto nunc confert Patria plauſu.
Macte hoc ingenio, macte his illuſtribus auſis,
Et patri longum ſimilis longumq; ſuperſtes
Fortunâ credenda pari dein frena capeſſe.
Unus eras EICHLERE ſuper, non ultima Divæ
Gloria, nec tantæ pars poſtremiſſima pompæ,
Et vel ob egregium multum dilecte parentem,
Cui reditu cavet illa ſuo. Tibi ſpiſſius ergò
Oſcula, non ultrà nunc diviſura, labellis
Ingerit, &, Notæ ſuccede, ait, arbiter urnæ,
Aut mœſtos defende reos tricasq; refelle
Arte moratorum, & rixarum vincula ſolve.
Te fora mirentur, te ſummâ laude Senatus
Efferat, & meritas reddat tibi Curia voces,
Quæſitumq; decus. Spe namq; hac digeris annos
Olim, & diſcendas diſpenſas ordine leges,
Eloquium prius edoctus Sophiæq; reperta
(Queis ſine nemo meas felix penetravit ad artes)

Prudentumque modos, ſeu te COBURGA teneret,
Seu JENA Eunomiæ ſedes gratiſſima divæ.
Primus ab ingenti tibi nomina Cæſare, at alter
Indit ab Edictis; venientem tertius annum
Papiniane notas, Prolytamq; Lytamq; ſequentes
Deſignant tortosq; jubent diſſolvere nodos
Pellæo melius: dum non jam diſcere ludo
Amplius, aut tenui cauſas orare ſub umbra,
Sed medio tonuiſſe foro facundia torrens
Se confiſa jubet, rigidumq; animare tribunal,
Haut ſecus, ac reliquos puteal ſibi poſtulat omnes.
Oſcula finierat. Peragebant cætera Patres
Atq; altum dominâ plaudebant templa reversâ,
Primaq; ſollicito ſpondebant tempora mundo;
Dum lacte interea dum nectare flumina ferri
Jam ſenſim inciperent, & fons Aganippidos undæ
Nobiliora Tagi ramenta oſtenderet auro.

OTIUM

VI.

OTIUM. CHARONTIS.

IN

DOCTORATU.

SPECTATÆ. ERUDITIONIS. ET.
PERITIÆ. NON. VULGARIS. ME-
DICORUM. QVINQVE.

JOHANNIS. BOHNII. Lipsiensis.
JEREMIÆ. LOSSII. Bornensis.
GOSWINI. GODOFR. MARQVARTI.
Susato Westphali.
JOHANNIS. PFEIFFERI. Gera. Varisci.
MARTINI. HEERII. Lauba Lusati.

LIPSIÆ.

NONIS. APRILIS. A.E.C. cIↃ IↃc LXVI.

GRATIOSISSIMO.
MEDICORUM. ORDINI.
VIRIS.
CONSUMMATISSIMA. DOCTRINA. AC.
PERITIA. FAMÆQVE. CELEBRITATE.
ILLUSTRIBUS.
D. JOHANNI. MICHAELIS. DECAN.
PERPETUO. THERAPEUT. P. P. COLLEG.
PRINC. UTRIUSQ. COLLEGIATO. ACA.
XVIRO. ET. ARCHIATRO. ELECTOR.
ET. SAX. ALTENB.
D. GODOFREDO. WELSCHIO. SENIORI.
PATHOL. P. P. COLL. PRINC. MAJ. COLL.
ACAD. XVIRO. ET. HOC. TEMPORE.
RECTORI. MAGNIFICO.
D. SIGISMUNDO. RUPERTO. SULZBER-
GERO. ANATOMIÆ. ET. CHIRURG.
PROFESSORI. PUBLICO.
D. MARTINO. FRIEDERICO. FRISIO.
PHYSIOLOGIÆ. PROF.
PUBLICO.
D. PAULO. AMMANO. COLLEG. B. VIR-
GINIS. COLLEGIATO. ET. ACAD.
BOTANICO.
IN. FANO. HYGEÆ.
HOC. QVICQVID. EST.
SUSPENDIT.

L. Frid. Rappolt. Poes. P. P.

Otia

OTia erant, Venerem Medicam cum ritè dicarem,
Et linerem veſtris lemmata grata tholis.
Otia nunc cani dum verſu dedico nauta,
Aut ſunt nulla mihi aut otia parva ſuper.
Quàm metuo, ne vos offendant otia noſtra,
Et non in verſu ſit Venus ulla meo.
Et tamen illa dico, quoniam voluiſtis, Amici:
Fors etiam meruit non meliora Charon.

ESſtis io! Muſæ,nec deplorata cupreſſus
Victrici potior lauro ſpes enecat omnes,
Aut poſtes æterna premit:redit illa; ſuasq;
Feſta comas quernis jungens ad limina ramis
Auguſtâ cives ſervatos clamat Hygéâ.
Vivimus, & veteres ſarcimus rite ruinas,
Præſtruimusque novis: nec jam nos Præfica cantu
Terret, & infauſtîs obſcævat Funera threnis.
Ac mihi ſolenni dum ſervent omnia plauſu,
Et mœſta ambroſiis cedunt ſilicernia menſis,
Fas pede ſit graviore Deæ ceciniſſe laborem,
Et tenebris defenſa imis non carmine molli
Sub divum rapere, ac naucleri pandere ſortem.
Veſter honos agitur, chariſſima nomina Phœbo,
Et, quos fronde ſuâ nunc ornat Hygéa, Medentum:
Veſtra mihi gratas præſcribit gloria metas.
In nova veſtierat ſe ſempora lubricus annus,
Et jam corporibus pulſo ſqvalore redibat
Priſtinus ille vigor: jam defæcatior artus
Sangvis, & adjutus cœlo calor oſſa tenebat
Pulchrior, & veteres homines animabat in artes.
Stabat Pergameo ſata patre, & tempora Hygéa
Proxima fortunamq; diu meditata priorem,
Talem præſenti ſeſe inclyta ſorte ferebat:
Reddimur imperio, nec inextricabile Clotho
Volvit opus,ponitq; aliquâ Libitina furorem,
Et minui quæſtum patitur. Favet artibus ecce
Phœ-

Phœbigene & melior nobis ſeſe explicat orbis,
Emergitq́; Chao. Cœlo medicina probaris,
Quis neget? & primos iterum revireſcis in ortus,
Inventum medicina meum, quâ vindice dudum
Vincimus, & rigidi jura exſuperamus Averni,
Injicimusq́; moras vectandis triſtibus umbris
Lintre, Charon metuende, tuo: quæ plurima ripas
Deſeruit nuper ſubiitque noviſſima turba,
Vel, quas vicini tulit inclementia menſis
Illuſtres animas, defletaque nomina Muſis,
Littora quantum ultrà terris avecta dolebam!
Ulciſci liceat, pœnasq́; rependere dignas
Terribili ſqvalore Seni, ſeu tollere cenſum
Fas eſt, ſeu leges Parcarum & fata morari,
Unde illi vita & crudæ fomenta ſenectæ.
Et jam ſacra paro firmandis Orgia rebus,
Et ſua Quinqueviri promittunt robora nobis
Incenſi ingenio famæq; ingentis honore,
Dicere quos veterum liceat ſimulacra medentum
Atque inſtar non vile mihi, exemplumque nepotum.
Primus ades, meus ignis, & hæc ulciſcere damna,
Dudum aviæ, dudum magnæ intentata parenti,
BOHNI docte, tuæ, primâ donande tiarâ.
Namq; hunc à teneris Muſæ tibi & acer Apollo
Inſevêre animum, factisq; potentibus aptum
Effecere mihi, qvum vel Philurea Magiſtrum
Diceret, & doctam decoraret adorea frontem;

 Vel

Vel Mœbi SCHENCKIque artem te JENA doceret
ROLFINCKIque, ſuper WEIGELII, THOMASIIque
Dogmata SCHLUTERIque (haut iræ is portio noſtræ
Ultima vindictæq;) velut ſuper alta locandam
Fundamenta domum. Nec defenſoribus illis
Hîs opus, aut pulchris pubes accommoda cœptis,
Cui non illa priùs firmat ſapientia pectus:
Nec ferrugineam levis eſt res ſiſtere cymbam,
Aut remoræ eſſe ſeni. Rebus tu rite peractis
Haut uno id diſcis, nec in una gente, magiſtro.
Prima petita tibi Cimbrorum terra, ſuoque
Hafnia BARTHLINO celebris, PAULIq; Minerva:
Tunc HORNI & SYLVI felix Hollandia ſcitis,
LINDANOq; gravi. Mox orbe Britannia noſtro
Semota, & Medicis Londinum clara peritis.
WARTHONO antè alios. Viſa eſt & Celtica tellus,
Et quæ dicta luto reliquas præit aurea cunctas.
Urbs Julî, fluvio pulchrè interfuſa bicorni,
Doctis plena viris. Quorum tu præſide cura,
Quid fata acceleret, quæ cauſa extendat in annos,
Quo vitio pars quæq; ruat, quâ lege reſurgat,
Quo fœtum Natura loco, quo ſaxa reponat,
Quid ſangven rotet, & ſua per veſtigia ducat,
Singula defunctis luſtras ſpectator in extis,
Viventumq; notas animo deſcripta ſaluti.
Argentina domum miſit, poſſeſſa Trebocum
Genti olim, Muſis nunc auguſtiſſima ſedes,

Et

Et dignum his auſis, dignum celebravit abollâ
Pæona. Talem etenim accipio, talem oſculor & re,
Et verbo, haut priſco virtute atq; arte minorem,
Pellentemq; Orci ſimili ratione cohortes.
Alter ades, rerum ſpes exoptata mearum, (plis,
Quas paro, & infernis pariter metuende mani-
Doctrinæ ingeniiq; opibus validiſſime Loss1.
Qualis eras, qvum monſtra Erebi non una notares
Eminus, & quantum poſſes ſermone probares
Doctorum è cathedra. Premit acri pectora ſenſu
Et tenet in ſomnis, oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, pondus: tum fruſtra avertere molem,
Et fari & propter voce inclamare cubantes
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Deficimus: non lingua animum, non verba ſe-
qvuntur: (ultrà
Natam Orco peſtem perhibent. Hanc prodis, &
Nil timuiſſe jubes jam cum te celſa Sophorum
Sub FRANCKENSTENII moderamine ſella tene-
Mox aliâ guttur ſolvis, dum concipit ignes, (ret.
Et prima accenſum flammas eructat in ora,
AMMANI tutus clypeo. Deterrima ſummum
Occupat, & capiti impingit funeſta dolorem.
Huic quoq; te opponis, SCHENCKIq; haut ſegnis
(in armis
Læta tropæa refers. Si quid te terreat ultrà,
ROLFINCKI Panacea juvat non cognita multis.
Eſt, ubi Marte tuo pugnas, &, ſi quid aperta
Dedecorat turpi languore Oſcedo labella
Diducitq;, mones, cauſamq; expendis & ortum,

Non Latio cenſore minor, non mitior hoſtis.
Nec fermenta taces ſi quid corrumpat, & ipſum
Ventriculi firmas robur. Quàm fœda ligatos
Supplicia & lintri incluſos ad tartara mittant
In Perſis fontes, quæ tabes devoret exta,
Quid Soli obverſis muſcarum examina denſet,
Qui rodant vermes, ſic diſſeris, ut tibi notus
Omnis ſit penitus, qui corpora deſtruit, angor,
Et vitæ putredo lues, cariesque nefanda:
Utque tuis proſis, morbos anquiris Apellæ,
Atq; Epiſpaſmon ais recutitam affligere gentem.
Salve, atque arte mihi Podalirius alter habetor!
Quid? BURCKERSRODIO Podalirius alter
habetor
HEIGIADAEque, ſacri qui pars non ima Senatus
Dreſdæ audit, ſplendorque Dices, Themidosque
voluptas.
Tertia palma mihi Suſato ſurgat, ut olim
In MICHAELE gravi, cum tetris excita morbis
Horrida lu lebam pulchrâ vice tartara, & Orci
Porthmea fallebam. Nec gens diverſa, nec ardor,
Nec vis illa animi, ſanguisq; alacerrimus idem.
Tu Michaelis eris, MARQVARTE, ſalutifer
Heros,
Sic date Suſatis, Epidaurus Apolline natum
Ut dedit; & medica pariter celebravit in arte.
Illum olim genitor flammis uteroq; parentis
Eripuit, geminiq; tulit Chironis in antrum,
Diſceret ut gratas ægris languentibus herbas.
Iſte tibi patrem præſtat, nuncq; impiger ipſe
Suſce-

Suſceptum proprio Lare per ſecreta Medentum
Ducit, & arcanas vincendi fata recludit
Sanandiq; vias; nunc ad Philyreia mittit
Antra, atque HEILANDO, quo geſtu membra ſecanda,
Quove paranda modo, quo perquirenda viciſſim,
Cognatum didiciſſe jubet: cognoſcere vires
Herbarum URSINO & medicatis floribus hortos;
Cætera WELSCHIADEN depoſcere. Multa caminus,
Multa ignis docuit ſolvendis ritè metallis
Aptus, & ad cauſas rerum ac cunabula promtus.
Illatebranda animo. Tollat revocabilis illum
Hippolytus diſtractus equis; Tibi noſtra perennem
Tentamenta ferent noto ſuper æthera palmam;
Et non una ſuos ſervari urbs anxia cives
Te medicante volet, non navis provehet una:
Atque ubi non poterit præſtò eſſe vocatus Apollo,
Qui minuat luctus, accedet Apolline natus.
Nec tu pranſe minus PFEIFFERE ades auſibus iſtis:
Et vel præcipuè te cymba auctore per undas
Lenta feret manes, & multum exoſa queretur
Otia longa ſenex. Quid enim? Tu fortior unus,
WELSCHIADE ſtimulos animo ſubdente feroci,
Auſus es immotas leges & ferrea jura
Sollicitare trium decretaque firma ſororum,
Et prolongandæ rationem oſtendere vitæ,
Heu brevis, heu curtæ nimium; dum lemmata in orbem

Spargis, & audaci, non illo fine teneri
Quod ſumus, ore doces, quo plebs promiſcua cenſet,
Poſſe referre pedem, ſi quis cymbæ intulit unum,
Et medicâ evaſiſſe manu. Sic nempe Machaon
Vulnere fœdatum atq; animam ſub morte trahen- (tem
Exactos proferre dies dubitataq; Graiis
Tempora, promiſſos ne Helenæ produceret años,
Atriden docuit, Stygiisq; retraxit ab undis:
Sic deſperatam Lacedæmona miſit in urbem.
Fallor, an huic ſimilem generoſi pectoris Heros
TAUBIUS, ingenii dotes miratus & artem,
Dudum habuit te, noſter Amor, dum credidit artꝰ
Et vitæ momenta ſuæ, ſeſeq; monentis
Conſilio extendi ſperavit vellera poſſe,
Me nentum fingente colos lintremq; vadante,
Spes ferat ille ſuas, teq; optatiſſime mecum,
Neſtora agens longùm, Cumæaq; ſecula vivens,
Parcarum videat leges & fata morari.
At tu qui ſequeris Medicorum exercitus ipſe es,
Unus & integrum ſiſtis fortiſſimus agmen,
Innectisq; moras, non Coclite ſegnior illo,
Quo duce nequicquam tentavit Porſena pontem,
In te vaſta ruant Morborum examina, pellis,
HEBRE, & victrices deportas inclyte lauros,
Hoc major virtute, tuo quò pectore major
Se vis multorum quondam collegit, & unum
Iturum in Stygias armavit juncta cohortes.
Nempe tenes unus, quæ multi ſingula, ſeque
Omnis in hoc animo Philuræ ſapientia vertit

URSINI, AMMANI, WELSCHI, HEILANDIque: quid? omnis,
Quà patet & famam, MICHAELIS, ſpargit in (orbem.
Exaugent alii, quà ſeſe Cimbrica tollit
Terra viris: & vel celebris Chiliarcha favendo
Provehit in majus HOFFMANNUS pulcher in armis.
Nec minus & reliqui. Vidi ipſa, & ſæpe notavi,
Cognati & civis te perreptare tabernas,
Pharmacaq; ipſa manu tractare ægrisq; parare,
Nullo horũ prohibente, ut erat tibi blandꝰ uterq;:
Vidi etiam dantem, atq; haut vanâ mente ferentẽ
Morborum in validas, timuiq; exterrita, turmas;
Fridrici inprimis, quò fama exciverat, arce,
Auxilium mœſto dum poſcit avunculus ore,
Atq; oculos ſibi labe peti dolet. Ille Melampi
Scilicet ardor erat, vis illa Amythaone creti:
Sive boves, Iphicle, tuos auferre doceret
Fratrem, ſeu patulas falſis mugitibus auras
Prætides implerent, & pelleret ipſe vocatus
Placatâ Junone luem. Sic fata, priores
Hunc jungit, roſeoq; omnes amplectitur ore,
Et, mihi Quinquevirûm ſalve, inquit, amabilis or-
Et fatis te oppone lubẽs. Quid detrahat ævo, (do,
Quid numerum minuat, quid cenſus augeat Orci
Cernitis, & cani ſenioris divitet arcam,
Et quæ cauſa mali. Venturæ occurrite peſti,
Et lentas auferte moras, avidoq; parate
Otia longa ſeni. Nec vos Acherontis ad ipſos
Deſcendiſſe lacus jubeo, vel Theſea fidum

Pirithoumq; ſequi, vel triſtes Herculis iras.
Non his auxiliis opus eſt. Canis horridus antro
Excubet æternum, & latratu regna triformi
Perſonet, & thalamo dominam Dis ſervet Averni.
Non umbras revocare datum, nec poſcimus: intus
Hoſtis habet, hominumq; atrox in corpore ſævit.
Conſpirat dens, lingua, caput, cor, pulmo, cerebrum,
Et tacitis toties jurant in funera cauſis
Viſcera, & extremum poſcunt nos improba naulum.
Hoc prohibete nefas: cenſu gaudere minori
Nauta ferox poterit, nec noſtris creſcere damnis.
Sic ait, & ſummo cunctorum intendit honori,
Impertitque decus, nunc figens oſcula labris,
Nunc aurum digitis aptans, humerisq; rubentem
Circumdans trabeam, nunc pilea ſplendida donans,
Nunc ſceptrum præferre jubens; ſed quale Quiritum
Uni, cum Latias vitiaret peſtifer auras
Halitus, & triſti ſqvallerent corpora morbo,
Obtulit in ſomnis opifer deus, & bonus angves
Agreſti implicuit baculo ſanoque reſedit.
Ars angves tamen occuluit, cœloq; perito
Sceptriferis texit pueris: atque aurea contra
Ingenio haut parvo inſculpſit, non aſpera viſu,
Poma, per Heſperidum ſervârat qualia terras
Atlas, & vaſto dederat ſervanda draconi,
Præmia lauta deæ, juvenum teſtata laborem.
Sentit ſacra Charon, & cur rareſcere manes,

Cur

Cur vacuum littus video pallentibus umbris,
Fatali cur ære manus, ait amne revectus?
An tuus ille redux mihi tempora mutat Adonis,
Et tibi, pæta Venus, ſe pactus dividit annus?
An fatis iterum ſe infauſta opponit Hygéa,
Et ſacra priſca parans creſcentibus invidet umbris,
Peſtifera illa magis noſtroq; nocentior æri, (roxq;
Quàm fuit Hermionum gens naulo inimica, ſe-
Vi quondam Alcides qui tartara fregit apertâ?
Deficimur numero, vixq; hîc in littore nobis,
Cerno, ſuperſtes inops cæſorum inhumataque turba,
Non tangenda manu, non imponenda phaſelo,
Quàm tumulata, prius. Quantò locupletior anno,
Qui cadit, & ſectis hyemi præludit ariſtis,
Quantò triſtis hyems melior, quà deſinit, ortu,
Ver geniale, tuo, minuendis utile rebus
Et toties fatale meis. Hoc utitur omnis,
Qui medicam promittit opem languentibus æ-
Atq; inhiat lucris mendax aretalogus iſtis, (gris,
Speq; trahit vitæ cupidos: nuncq; aurea Hygéa
Ipſa hæc nata ſibi radendis tempora nummis
Fraudandisq; putat; nec planè provida fallit,
Vere novo dum ſpargit humum, dum fundit odo-
Veris opes varias, & feſti inſtaurat honorem, (res,
Ægrotisque cavet tam pulchro cardine rerum.
Jamq; videre mihi videor per compita quinos
Auxilium properare viros, & ſanguinis illi
Mittere non minimum, ac mediam pertundere venam;

Quan-

VII.

THEMIS. PYTHAGORICA.

IN

DOCTORATU.

QVATUOR-VIROR. CLARISSIMOR.

MICHAELIS. FINGERI. DÜBANI.

AUGUSTI. BENEDICTI. CARPZOVII,
LIPSIENSIS.

GEORGII. HEINZII. HAMBURGENSIS.

FRIDRICI. GEISLERI. SILESII.

ANNO

Quo Templum Academicum
renovabatur,

CIↃ IↃC LXVII.

Quantum non alium, & veteres extergere ſordes;
Aut, ſi lenta hyemis nocuerunt otia, in hortis
Inter Hamadryades ſolatia quærere, & aura
Liberiore frui ac Pomonæ flore jubere,
Damno cuncta meo. Jam vos quæ impendia cives,
Quæ regni ſocios quàm triſtia fata manebunt,
Quæ ſtrages, ſoror alma, tuas Libitina tabernas,
Quæ pollinctorum veſpillonumq; cohortes?
Differor, & clades nequicquam computo noſtras;
Jamq; adeò in caſſum deſes his immoror undis,
Aſſvetus remo ductando umbrisq; vehendis.
Sic ait, & vacuum vertens ad littora lembum
Spemq; metumq; inter, tenues ſine corpore vitæ
Unquam aliquæ remis iterum vada livida verrant,
Informi limo & glauca conſedit in ulva.

THEMIS.

AUGUSTÆ. THEMIDOS.
SACERDOTIBUS,
TRIUMVIRIS. EMINENTIS-SIMIS.
PROCANCELLARIO.
FRANCISCO. ROMANO. JCTO.
ACADEMIÆ ANTECESSORI.ET. SYNDI-
CO.CURIÆ.PROVINCIALIS.SUPREMÆ.
ET.FACULT.JURIDICÆ.ASSESSORI.
ET.CANONICO.MARTISB.
PROMOTORI.
GEORGIO. TOBIÆ. SCHWEN-
DENDORFERO. JCTO.FACULT.JURID.
ORDINARIO. ANTECESSORI. ET. XVI-
RO. ELECTORIS. ET. DUCALIS.CURIÆ.
SUPREMÆ. PROVINCIALIS. ASSESSORI.
CANONICO. MARTISB. COLL. MAJOR.
PRINC. COLLEGIATO. ET.NATIO-
NIS.BAVARICÆ.SENIORI.
COMPROMOTORI.
TOBIÆ. MOEBIO. JCTO. FACULT.
JURIDICÆ. ASSESSORI. ELECTORALIS.
ET. DUCALIS. SUPREMÆ, CURIÆ.PRO-
VINCIALIS.ET.CONSIST.ADVOCATO.
ORDINARIO. FAMIGERA-
TISSIMO.
DEDICAT. SE.
THEMIS.PYTHAGORICA.

Poſt

Poſt quartum ASTRÆAM REDUCEM
THEMIS excipît annum,
Res eadem, tantum ſchemate tecta novo:
Atque ad Vos iterum, velut illa, reverſa recurrit,
(Ut ſolet innumeras ire redire vias)
Seque tribus quartam jungit. Permittite PATRES,
Quarta ſit. Hunc numerum Pythagoras amat;
Cui ſe conſultò dum conformare laborat,
Invenit in Vobis ſe numerumq; dea.

Non

NOn mendax penitùs, nec inexcuſabilis error,
Quo ſe priſca orbi Sapientia venditat ætas:
Et jam poſſe aliquid fatorum triſtia jura
Rumpere, & æthereas ſe ſurgere rurſus in auras
Credibile eſt; quinto nec ſiſtit in ordine vates
Pavone è primo Calabris in montibus ortus;
Ad plures res illa venit, Divosq; videmus
Ludere Panthoiden, atq; ima è gente Quirites.
Quid loquor? In niveum, dum tento hæc carmine, cygnum
Vertor, & exemplo recidivas augeo formas:
Incertum, veſtrone ales mutatus honori,
Egregii juvenes, an quòd, velut ille puellam
Æmonio genitore ſatam non crimine parvo
Prodiderat, Samii facile exorabilis index
Sub divum arcani rapiam ſacra, viſaq; dudum,
Nil tacitæ veritus vulgare ſilentia ſectæ,
Oſcen, Phœbe, tuus populo ſpectacula pangam?
Quicquid id eſt, liceat defectâ dicere linguâ (que,
Tam pulchræ momenta rei, numerumq;, locum-
Formarũq; genus, volucremq; ad ſtagna Cayſtri
Aut cantu, aut ſenio, cantum frangente, referre.
Abſuerat noſtris Themis illacrymabilis oris,
Et ſibi poſſeſſos poſt terga reliquerat agros,
Seu vitiis expulſa hominum, factisq; nefandis,
Seu rabiem pertæſa fori, ſeu funere in ipſo
CARPZOVII, ut fama eſt, animam manesq; ſecuta
Indivulſa comes. Jamq; ad loca priſca reverſæ
Se terræ intulerant peſtes, Fraudesq; Doliq;
Inſidiæq; & Vis, & Amor perverſus habendi,

Et

Et Ratio rationis inops, mirabile monſtrum,
Et gravis Ambitio & ſciſſâ Diſcordia pallâ,
Abſenti gaviſa deâ gens, æthere caſſa:
Cum redit Elyſio, & templo ſe auguſtior infert
Illuſtres imitata animas, quibus altera fato
Corpora debentur cœloq; propinquior orbis.
Dumque oculos nunc hanc, partem nunc vertit
in illam,
Nec veterem agnoſcit faciem, mutataq; cernit
Omnia, Quis mentem reducis, quis amabilis error
Tentat, ait? Laticeſne etiam potavimus illos,
Et nos immemores tranſmiſit ad æthera Lethe?
Certior an ſacris clypeum internoſcere Delphis
Panthoidæ potuit Samiæ telluris alumnus,
Tænariâ revocatus aquâ, ſignisq; docere,
An mea Callideâ minor eſt ſors, & minor Alce?
Hîc paries, hîc cippus erat: per inania viſum
Nunc mitto, & tenebras miror ceſſiſſe priores.
Et tu, qui laceros jaciebas, Phœbe, per orbes (gis,
Dulce jubar, juga flammivomis per Eoa quadri-
Nunc ſartos, invecte, ſtupes penetrasq; micando.
Signa ducum cerno: ſed qualia ductor in hoſtem
Ordinat, ut primum campo ſtetit agmen aperto,
Non trajecta loco: clypeos, ſed ſumma tenentes:
Marmora, ſed priſcis pulchrè ſurrepta columnis,
Atque affixa novis. Quò ſe tulit illa vetuſtas,
Quò fugit, ſimulacra ſitus qui exeſa tenebat?
Quò tabulata (ſacris quã non digniſſima noſtris!)
Ad cœcum abſtruſi ducentia carceris antrum?
Quò tantùm ad ſtrepitũ pendentia pariete in illo
Tigna

Tigna abiere ? Quis ô quis ſceptra tenentem
Prima novo nobis ſpectandum lumine præbet
Te magnum Ottonem , dudum ſqvalore pere-
Et longâ annorum ſerie turpiq; ſenectâ (ſum,
Conſpicuũ haut ulli?Colimurne,an priſtina nobis
Sors aliqua eripuit tecta atq; invidit honorem ?
Et quis Saxoniæ Patres mihi caſus ademit?
Pulchrior Heroës an tantum tranſtulit ordo ?
Quàm te quàm,nondum viſum,ingenioſa reduxit,
Bellandi Friderice potens atq; artis amore,
Quàm prudens manus huc poſuit,qui primus Ely-
Concilias,triſtes cum gens Bojema Camenas(ſtro
Pelleret, & Myſias Fortuna referret in oras
Hoſpitio pulſas veteri!Salve incluta Imago,
Et læto auſpicio præcede ætate minores,
Congenitâ virtute pares. Jam,cerno,vacantem,
Dudum optata mihi,generiq; ſimillima veſtro,
Implevit Jani pilam geniata Georgi :
Et ſerò excipiet. Nondum hæc effata *retrorſum*
Pegmata celſa videt, ſed qualia viderat antè,
Oſcula divideret qvum ſex & frontis honorem,
Et grandi juvenes titulo macte eſſe juberet,
Structa ſibi , & notos Patrum referentia vultus,
Aulæisque intecta ſuis oſtroque ſuperba.
Sola ſuper vacuum pingit Concordia murum,
Atq; in ſubjectos ſtillantia balſama crines
Egregiâ gravitate virûm meritisq; potentum
Rorat,in Aaronis ſacrum caput aura ſuavis
Ceu fluit,& gratos in barbam depluit imbres,
Nondum hîc viſa prius,Vitâ cincta atq; Salute.

Proxi-

Proxima florenti juvenes ætate quaternos,
Spe plenos,populo,velut olim , pulpita ſiſtunt ,
Evacuanda brevi tamen & mutanda ſupernis.
Stant infrà totidem radianti in veſte puelli ,
Et meditata ſibi poſcunt ænigmata ſolvi,
Vi fandi ætatem ſuprà ſvadâque valentes :
Æneadum quales matrem ſcitantur Amores ,
Atque haut ingratâ reſidentem voce fatigant
In ſolio,& Paphiis pangentem oracula terris ,
Idaliæ rerum cupidi legumq; ſacrarum.
Nempe placet numerus , Duo quem genuere parentes ,
Quique Octo generat pater : atque, Hoc,inquit, in orbem
Se vertunt vaſti genitalia corpora mundi
Diſſociata locis: quorum duo pondere in imum
Præcipitant , totidem gravitate carentia in altum
Aſſurgunt,cœlumq; petunt : quæ diſſita quamvis
Non coëunt , gignunt tamen omnia , & omnia in ipſa
Fracta cadunt : tenuesque humor rareſcit in auras ,
In liquidas humus exit aquas, tenuatus in ignem
Æther,rurſum ignis ſpiſſatus in aëra tranſit ,
Inq; vices toties repetitus commeat ordo:
Utque novet faciem, negites periiſſe novantem,
Huc dum fertur & huc,ſummâ ſibi conſtat eâdẽ.
Hic mundi mihi ſcena patet ! Revireſcimus,& jam
Ingenio ſimili reparat ſe noſtra Juventus :
Nec patrum ſe perdit hyems. Convertitur annus
Tantùm,atq; æterno durat remeabilis ortu.

Nam tener & viridis pueriq; ſimillimus ævo
Vere novo eſt:æſtate valet robuſtior, & ſe
Induit in juvenem: Medius juvenemq; ſenemq;
Inter in Autumno eſt, veterem circumactus in orbem
Dum ſimulet rurſus tremulos ſenis horridus art9.
Vel genio quæ templa colo, quàm viſa reverſæ
Non eadem eſſe mihi, dum vel manus æmula Apelli
Addidit ornatum, nova vel tectoria ſtructor
Induxit muris; eadem tamen illa fuere,
Atque antiqua mihi: dicas loca poſſe renaſci.
Fallor, an hæc eadem lætis ſpectacula menſis,
Quas parat alma Ceres, dulci ſociata Lyæo,
Poſt ita non multò (tanta eſt ſolertia, tantum
Ars præſtat, Natura, tui) Themis altera ſiſtet,
Et decus hoc lepidis ſimulabit callida ſignis
Omne ſuis, reditumq; rei dabit æmula geſtæ
Phidiacâ melius dextrâ ſcitiq; Myronis.
Non Baldus mihi doctus obit, non Bartol9, & qui
Longiùs hinc noſtras vitam coluere per artes,
Servius & Labeo, Proculoq; oriunda propago
In ſobolem fœcunda novam. Nec colla ſecuris
Percutiens potuit tibi, Papiniane, minorum
Extirpâſſe genus, rabiesque inſana tyranni.
Redderis, & Paulis vitam gravibusq; Sabinis
Debes, inq; novos tranſis Pomponius ortus;
Nec te temp9 edax, (ſanctam tibi juro Tetractyn,
Fontem animæ, nunquam nobis violabile verbũ)
Hac pellet ſerie, ſurgetq; ex oſſibus ultor.

Utq;

Utq; remolleſcens tractataq; pollice multas
Vertitur in formas, formas nec ſervat eaſdem,
Et tamē ipſa eadem eſt redolens thyma cera: figu-
Sic variâ mihi priſca redit ſapientior ætas, (râ
Atq; eadem ſemper, paulum mutata, recurrit.
Nec veterum tantùm, quorum jam ſtamina Clotho
Rupit, & exanimes juſſit concedere terris,
Præluſtres hîc cerno animas moresq; rediſſe;
Ipſa etiam in vivis viventum ſpirat imago,
Et, quô ſe quæri quondam velit ore locoq;,
Quas habitare domos, fatorum erepta furori,
Innuit, atq; alios meditatur mobilis artus.
BORNIUS hos (agnoſco Patris veſtigia) at illos
SCHVVENDENDORFERUS movet, arte ſimillimus: & quæ
Diſcenti impreſſit ſeſe, quà Leucorin ambit
Corniger Albis aquis, dudum ZIGLERIA Pallas,
MOEBIADAEq; foro victrix opulentia linguæ
Auxilio devota reis. Sic fatur, &, Hic eſt,
Te digito FINGERE notans, ait, æmula priſcis
Quem Virtus patribus ſimul atq; recentibus æ-
Et ſumtâ Erigone decoræ renovata juvētâ, (quat,
Ut renovat ſe Solis avis, poſitâq; ſenectâ
Scandit odoratas Phœnix felicior aras.
Nil artes, nil curo tuos, Æætias, ignes
Et calido poſitum quondam medicamen aheno:
CARPZOVIUS mihi ſponte redit: nec pulchrior Æ-
Exſilit aut turpes deponit corpore rugas (ſon
Membraq; luxuriat, juvenili in pectore canos

Illius, & ſangven generoſum hoc aſpice venis,
Et dubita revocaſſe ſenem. Sic ipſa tenellum
Finxit, & ingenio præſtantem ac fortibus auſis
Ingenti capiendæ animæ Patrima paravit,
Veſtro THOMASI, FRANCKENSTEINIque, tuoq;,
SCHVVENCKIADE, &, qui nunc mutato nomiue
Corvi
Has reduces ſacro celebrabis carmine formas,
Cygne, tuo auſpicio commendandoque labore:
In partes veniente, humili quâ valle repoſta
JENA racemiferos proſpectat florida colles,
Et BOSIO & magno RICHTERO Juris epopta,
Et STRUVI, legum retegente arcana, Camena,
BORNIADAEque, vago quâ Pliſna procatur Ely-
Amplo patre ſati, noſtri nec amore minoris (ſtro,
Et totum in dulcem ſe diffundentis alumnum.
Nuncq; adeò illa novos adoleſcenturit in auctus,
Et patruum ore refert, noſtris incumbere rebus
Et virtute genus famamque extendere factis
Ante quater denos qualem reminiſcimur annos.
Salvete erepti tenebris & gurgite Manes
Lethæo, ac pleno nunc ite in ſecula curſu!
Non cœptum remorantur iter, non ſtamina Par-
In vos dura legunt, non jus habuere nocendi: (cæ
Ætheris aula patet, nec deſunt tecta relapſis,
Aut de Carpzoviâ pulcherrima corpora gente.
Et Vos, HEINZIADAE quas grandi in ima-
gine cerno;
Illuſtres ſalvete animæ, cata pectora, ſeu Vos
Urbs tenet, antiquos quâ dividit Ella Treboces,
REB-

REBHANI, SCHALLERI,& tu ſuper æthera note
BOECLERE ô BEBELIQ;: alio ſeu Sole calentes
Arbiter Oceanus Gallis transſcribit & Anglis,
Aut Batavi beat aura ſoli Friſiiq; , VALESI ,
BIGOTI ,BULIALDE;atq; hæc mihi ſacra volentes,
Dum BORNI his oculi• ſpecies Noſtratis inerrat,
Seque ſimul veſtræ jungit,velut uda colorem
Purpureum reliquo jungit Thaumantias orbi,
Orgia præſentesq; diem celebrate! perenni
Sic natos iterum ſerię traducet in ævum,
Gloria , & haut uno ſpectandos æmula vultu
Ornandosq; dabit,dum Nerea neſciet Arctos ,
Et matutinos præibit Lucifer ortus,.
Extremum te,docte,notat,GEISLERE,tuoque
Non vanum ingenuo veneratur Protea in ore,
Miraturq; modos.Nam ſeu tibi munera gratum
Et benefacta animũ ſubeunt, quæ ſplendida parvo
BRESLA dedit, SCHOLZI, SCHRÖCKIque THIMI-
que benignâ
Illatebrante manu , vel LIPSIA contulit ipſa
BUHLI, SCHÖBELIIQ; tui non deſide dextra ,
Fis pulchra Euphroſyne : ſeu FRANCKENSTEINIA
mentem
Doctrina ALBERTIQ; Sophos ferit acre, repente
Chryſolithum in lapidem tranſis pretioque Va-
lentem
Gemmam,terſe,refers : ſeu te ſibi NORICUS æqui
Arbiter,ECCOLDUSQ;, gravis defenſor honeſti,
Vendicat, atq; habitum ſeſe transformat in illum,
Euſebie,dilecta Deo, Juriſq; ſacerdos

Voltibus appares. Et in hoc renovamine ſiſti
Dum videt, Oebalio decorat tibi tempora cocco
Deſuper, & patribus propior (Nam callida furtim
Miſcuerat ſe quarta tribus,numerumq́; recentans
Implêrat)noſtri cape teſtem hunc,inquit,amoris,
Et reliquis quoq; præſtat idem. Tū fronte ſerenâ
Quemq; notans,Alias hinc,infit,ſpondeo formas,
Fatidica, & mihi me felici ſidere reddo
Poſt hyemes aliquot, ſive Ignorantia pellit,
Seu maleſvada cohors Vitiorum & avita propa-
Convaſare jubet. Vos immortalia nobis (go
Nomina, vos vitam præſtatis & aurea rurſus
Secula,Saturniq; genus revocatis ab Orco.
Per vos migrat atrox Scelus, atq; Injuria terris
Exulat antiquis: per vos quæſitor in alto
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos,
Et juſtis dirimit ſontes, trucibusq; flagellis
Tiſiphone atq; unco malefacta accincta coërcet,
Per vos regna vigent, aut lapſa in priſtina ſurgunt
Robora: vos animam,vos vitam redditis urbi.
Vos bello,vos pace voco,ſeu fœdera,ramis
Palladis ornatus,veniamq́; miſerrimus optans,
Orator firmat; ſeu figit in æquore telum,
Et fera de rebus repetundis jurgia miſcet
Patratus,jaculumq́; intorquens mittit in auras;
Sive immiſſa Quiris,privo certamine,tigna
Obſtructumq́; dolet lumen fineſq; revulſos.
Veſtrum hæc & juſtâ componere ſingula lance,
Arbitrium,veſtrum, ſvaviſſima corcula,jus eſt
Et ratio.Roſeo quæ poſtquam dixerat ore,

Oſcla

Oſcula ter atq; quater repetit. Sic cætera Divæ
Fiunt auſpiciis & priſco more geruntur
Omnia: dum lætis concentibus aëra pulſat
Melpomene, cœli numeros imitata canoros,
Septenosq; modos, non fabro interprete, ut olim,
Et Themis ætherios ferri ſibi viſa per orbes,
Auctumni portis recipi, quà vergit in Auſtrum
Signifer, & patriis fingit ſe vivere in aſtris.

VIII.

LIBITINÆ. QVESTUS.

De

DOCTORATU.

VIRORUM. EXCELLENTI. DOCTRINA. ET. MEDENDI. PERITIA. SINGULARI. CLARISSIMORUM.

MICHAELIS. ETTMULLERI. LIPS.
JOHANN. CHRISTIANI. HIPPII. PIRNA. MISNICI.
GODOFREDI. WISNERI. RAZEBURGO-SAX.
SALOMONIS. EICHLERI. ALTENBURG.
CHRISTOPH. ANDREÆ. SCHöNGASTI. BORNENSIS.
GEORGII. KORMARTI. LIPS.
GODOFREDI. BUXBAUMII. MARTISBURG.
DANIELIS. FRIDERICI. WRATISL.
GODOFREDI. FRITSCHII. WRATISL.

XIII. Kal. Sept. A. E. C I Ↄ I Ↄ C LXIIX.

AD.

AMPLISSIMUM.

MEDICORUM. ORDINEM.

VIROS.

CONSUMMATÆ. DOCTRINÆ. LAUDE.
ET. MEDENDI. DEXTERITATE.
SUMMA. CONSPICUOS.

D. GODOFREDUM. WELSCHIUM.
DECANUM. PERPETUUM. THERAPEVT.
P. P. COLLEG. MAJOR. PRINC.
COLLEGIATUM. ATQVE.
ACAD. XVIRUM.

D. SIGISMUND. RUPERTUM. SULZBERGERUM. SENIOREM. PATHOLOG.
P. P. ET. ACAD. XVIRUM.

D. MARTINUM. FRIDERICUM. FRISIUM.
PHYSIOL. PROF. PUBL.

D. PAULUM. AMMANUM. ACAD. BOTANICUM. ET. COLLEG. B. MARIÆ.
VIRGIN. PRÆPOSITUM.

D. JOHANNEM. CENTURIONEM.
MACASIUM. FACULT. MED.
ASSESSOREM.

PRÆ-

PRÆFATIO.

LÆta decet lætis applaudere carmina rebus,
Cur turbat queſtus gaudia veſtra meus?
Quæque Venus Medicam vobis ſeſe obtulit olim,
Cur Medicâ indigno ſchemate pulla datur?
An quia non alio mea carmina tincta colore,
An quia ſumma ſuus gaudia luctus habet?
Tempora victrici cinctus per compita lauru
Dum vehitur Cæſar, templaq; ſumma petit,
Crinibus infrendens fertur Germania paſſis,
Et ducis auguſti ſub pede mæſta ſedet.
Nec vultu abſimili veſtris Libitina triumfis
Siſtitur, & lætis miſcet acerba choris.
Accipite, & planctu veſtro quæ ſervit honori,
Quà meat ille recens, hac ſinite ire deam.
Scilicet haut ſolis ab amicis gloria nobis,
Debita virtuti laus & ab hoſte venit.

ERgo iterum Stygias vexant lamenta cohortes,
Et validâ data damna manu, pulchroq; paratu;
Nec ſatis eſt poſuiſſe ratem, contoq; relicto
Otia in ingratis egiſſe ſacerrima ripis
Terribili ſqvalore ſenem. Nova ſurgit Hygéæ
Laudum materies, & priſco tramite currunt,
Cum ſe nulla lues hominum inſinuabat in artus,
Secula, non fatis, non illa obnoxia morbis,
Aut templo Libitina tuo, inceſtisq; tabernis.
Ac mihi fas audita loqui, lauroq; Medentum
Feralem pullæ Veneris miſcere cupreſſum,
Atq; illaudato temerare hæc gaudia verſu:
Haut tamen inſvavi penitus vanoque futuro.
Veſter agetur honos, dicetur gloria veſtra,
Egregii juvenes, rapidum nec floribus Auſtrum
Perditus, aut liquidis immittam fontibus apros.
Conſiderat jam Chloris opes, &, feſſa recenti
Sidere, detonſis falcem ſubduxerat arvis
Exuvias diſcincta Ceres. Jam virgine viſâ
Icariâ antiquos lenibat Sirius ignes;
Et ſeſe amplexi ſua per confinia menſes
Cæſarei miſeris metuebant frigora terris:
Cum templum Libitina petit, portisq; recluſis
Ut ſedit, vanis ſolium cingentibus Umbris,
Acri circumfert oculos per ſcrinia viſu,
Et lucris intenta ſuis cenſuq; putando
Ferre ſibi tabulas poſcit, queis ſcribere fata
Naſcendiq; vices hominum caſusq; ſolebat,
Et malè diſtractas numero ſubducere merces.

Stant trepidi, & dominæ famuli mandata capeſ-
ſunt,
Saxa inter cipposq; & trunco marmora vultu,
Atq; animo jamdudum iras & jurgia ſecum
Incenſæ expendunt. Quanquam nondum omnis
habenas
Laxat, & oblatas ſpe pleno ſuſcipit ore:
Dumq; manu verſat, laterumq; noviſſima cernit,
Ingemit acceptis, & inanes iſſe priores
Irrequieta dolet. Sterilem transmiſimus annum;
Inquit, & exacti clamant diſpendia menſes,
Et capuli traxere ſitum: nec commoda cladem
Exæquant ſubducta gravem. Quis vivere damnis
Invidet, & veteres turbat loligine quæſtus?
Demadis an redit ille furor, nimiumq; beatos
Ad puteal nos fama trahit? Soline vetamur (non
Vendere, quæ haut parvo conſtant emtoribus: &
Optat idem vulgus, votoq; incenditur uno?
Bellum ardet largasq; feris ſibi ſperat ab armis
Miles opes, placida cui curta in pace ſupellex;
Lite alitur, qui roſtra ſono certantia frangit,
Et linguam cauſis acuit non Regulus excors:
Agricolas annona juvat Cererisq; flagellum,
Et de corruptæ petit inſtitor ore juventæ,
Marſupium quod ditet iners. Gravis añus Agyr-
In pretio, & doctis proſunt incendia fabris. (tis
Nos noſtro ſervire foro dementia? Tardas
Heu nimium mihi terna colos & ſtamina volvunt
Numina, & incurvas dolor eſt vidiſſe Sibyllas,
Tithonosq; graves, & plenos Neſtoras annis,

Quos miſtis juvenum quondam tibi prima cater- (vis:
Tollere cura fuit, non indigniſſime tanto
Nomine, & Odryſio par irâ & cæde tyranno,
Nunc palles metuende & noſtra in damna fatiſcis,
Largirisq; moras. Nec vis animoſior illis,
Quos Numa, quos primi ſubdit tibi cura Quirini.
Autumni mihi ſola ſuper truculentia, quæ res
Inſtaurare meas & damno occurrere poſſit,
Impletura librum, velut ante, frequentibꝰ umbris,
Si velit, & veteri nobis ſe prodere vultu.
Sic ait, & titulos volvit, per quatuor anni
Tempora digeſtos, refugitq; exterrita viſis.
Namq; aliquis vatum Libitinæ dicere quæſtum
Dum ſtudet Autumnum, rapit illa celerrima no-
Delectata ſono, & multò re lætior ipſâ, (men,
Et libro illevit, chari ſignacula menſis.
Illa diu fuerat; nunc, ſeu carioſa vetuſtas
Cauſa rei, ſeu livor erat, plagiiq; nefandi,
Princeps (mira fides) eraſa eſt litera verbo,
Conjugio nempe illa carens, & ſcripta ſeorſim:
Ut ſcriptam tenuit, Jove nato, diphtera cœlo,
Crimina quando hominum ſerò inſpicienda no-
tabat.
Omen erat furto, nec quò ſe verteret ipſa
Certum erat, aut facti quis ſe hujus proderet au-
Gramaticas ambire tribus & pulpita dudum (ctor.
Mens ſedet, & ſimili ſub Tarpa judice cauſa
Calfeciſſe forum, cum vindex nominis olim
Ipſa ſui fuerat, ſublectaq; litera magno
Conſtiterat lepidum fallanti nomen, & haut ſe

Eſſe

Eſſe Libentinam paſſo. Jamq; ire volebat,
Ore Themin ſimulans & dextram onerante libello,
Et centum ſcribis,centumq; rapacibus illis
Intentare dicas manibus, cum Funera fletu
Omnia & inſanis miſcet clamoribus, & ſe
Præcipitem in delubra,deæ ad faſtigia,confert,
Inclamatq; fidem:turbari regna, ſacrisq;
Inſtare exitium tectis, commercia tolli,
Feralem trepidare manum. Jamq; ilia ducens
Deficit in medio Subit illa,animoq; reducto
Quis metus, effari mandat,quis terreat angor?
Hæc autem,nec adhuc ora indignantia ſolvit,
Audiri ſonitus tantum jubet, & mala mentis
Gaudia, ſervariq; oculis ſpectacula longè.
Nam parte ex alia, jam templo egreſſa,novenos
Ducebat ſacra pompa viros, oſtroque ſuperbis,
Regificè inſtructas epulis, comes ibat ad ædes.
Agmen agunt pueri, comiti, gens æmula Amorum,
Turbæ, Erycina,tuæ, ſeu tu Libitina vocari
Mavis,atque obitûs nunc quàm flagrantior ortûs,
Maturari hominum, non ſtringi, flebilis optas
Fata,& ſandapilas thalamo turpiſſima præfers:
Sceptris illa potens, & malis ſplendida & auro,
Præſidium generis, patriæ ſpes,gloria Hygeæ,
Vertendæq; olim ſimulacrum grande ſenectæ
In ſimiles habitus,ceu cum medicamine docto
Fortior Æëis Æſon ſurrexit ab herbis,
Enituitq; puer.Sequitur pulcherrimus unus

Pœoniæ proceres inter, clariſſima, gentis,
Lumina, non una victor de ſtrage nocentum
ETTMULLERUS ovans, patriis modò redditus oris,
Heſperia è magna Galliq; è finibus axis,
Et penitus toto diviſis orbe Britannis,
Belgarumq; ſolo. Temerè non ille vagari
His terris, oculosq; magis quàm paſcere mentem;
Et quæ luctificis ponenda repagula morbis,
Non unâ didiciſſe manu. Jam Vipera ſenſit
Alciden, morſumq; ferox & ſibila in hoſtem
Ac virus poſuit. Nec Lernæ ſævior illum,
In mortes fœcunda ſuas, exercuit Hydra:
Aut levius Libitina virum, quàm Juno, perire
Mallet, & inſano vitam exhalare labore,
Cui lætum ſupereſſe videt. Mirabitur auſûs
Patria, & Alcmenæ partu ſe præferet ipſi
Fortunata parens: fallor? Jove major haberi
Ipſe pater poſcet, nec veros noverit ortus.
Pone ſubis, fontes Aganippidos Hippocrenes
Cui nomen tenero quondam potumq; dedere,
HIPPI, dulce decus Phœbi. Nec tu leve fractæ
Indicium momenq; rei: nec triſtior ulla,
Aut gravior Veneri facies, cui funera curæ,
Occurrit, quà torva ferum conjecit in agmen
Lumina, & æthereum luſit Saturnia pondus.
Nempe illa oppreſſum primis te vellet ab annis,
Cum rabies Bojemia pios migrare parentes,
Et varias tolerare vices irata juberet,
Sors, toties conantem ultra totiesque repellens,

Ni

Ni fata obſtarent, &,quod ſubtegmine firmo
Tum Clotho volvebat, opus. Videre gementem
Sub mole, excuſſo nunc cernunt pondere cives
Et, modò quæ nupſit, Venerem Venꝰ altera ridet:
Tuq; urbi poteras Tirynthius alter haberi.
Excipis hunc WISNERE, patri pulchrè æmula pro-
Et pariter metuende deæ. Gratiſſimus ille, (les
Sauromatas ubi jure, ULADISLAE, premebas,
Magne, tibi, & medicâ quondam celeberrimus
Nec tu laude minor patria ad faſtigia ſurgis, (arte.
Jam FRISIIS notꝰ, jam BURCKERSRODIO & omni,
Quà patet, & ſtreperâ ſe effert Luſatia Niſſâ,
Nobilium virtute choro. Nec te favor aulæ
Deſtituit, quam SAXO colit, par nomine regi,
Par gravibus meritis & majeſtate verenda:
Nec data GORLITIUM ſuffragia nobile tollit,
Aut firmata ſemel demutat puncta Senatus,
In laudes deſcripta tuas. Sic Elida & ipſum
Amphitryoniades demulſit munere regem
Naupidame Phœboq; ſatum: Sic improba viſo
Palluit, & verſum mirata eſt Juno fluentum,
Alphéo fallente fidem. Jam feſſa videndo
Diva furens, oculiq; dolent non Hercule ab uno:
Cum nova ſe jungit ſeries par viribus illis,
Par virtute, tribus. Nec dum ſatis eſſe malorum
Ringitur, & graviora ſequi. Generoſe, notaris,
EICHLERE, & nullis caput exſuperabile pugnis,
Quas Erycina movet, tumulis dea nata parandis:
Quæq; olim genuere metum, cum gente vetuſtâ
Celſa Palæopolis juvenem vel Jena tenebat

Sin-

Singula, terroriq; deæ diviſa fuere,
Conſociata aliis nunc & velut agmine facto
Deſpondere animum cœleſtia munera cogunt:
Ingenii mentisq; vigor, morumq; venuſtas,
Et probitas, annisq; ſuis prudentia major,
Atque in tollendis pulchra experientia morbis,
Et rerum doctrina potens. Dubitaverat, oſtrum
Aldorfina humeris imponeret ocyus, an ſe
Reprimeret, lucemq; decus differret in iſtam,
Et non ingratæ ſuffragia jungeret urbi,
Effulſura magis. Cauſo plauſere Quirites,
Et Libyæ ſiccis, Hyperiona amantis, arenis
Antetulere, alacri pede quas, Jove nate, premebas,
Et tua ſe pulchris ſinuant in lumina ſignis
Facta deæ vulgique; ſed haut diſcrimine parvo,
Qui premis hunc, SCHÖNGASTE. Labor retinere videntem:
Sic cenſu ſpolianda ruit. Tarantola dici,
Quo rapitur veſana, furor, dulciq; tubarum
Fragmine in obſcœnas cogi ipſa agitata choreas,
Lympharumq; ſono, poſſit, plauſuq; moveri.
Nota tibi rabies, & quis labor angat inertem,
Quæ vexet maleſvada fames. Tu namq; ſolebas
WALTHERO monitore, & adhuc puerilibus annis,
His remoras opibus, huic turpi obſtacula quæſtu
Ponere, & orcinas fanis avertere merces.
At vulgus pæana canit, laudatq; laborem,
Atque ita Stymphalides crepitacula ahenea triſtes:

Arcadiâ pepuliſſe ſono cantuque fugâſſe
Blandus, ait, lætos geminans per compita plauſus.
Succedit KORMARTUS, &, Hunc, ait illa, timebam,
Cum nondum firmâ veſtigia figere plantâ
Poſſet, & alternas audire & reddere voces
Mollis adhuc ætas, nec dum omni dente renato,
Et puer in cunis, tanta eſt præſtantia formæ,
Jam Jove dignus erat. Multos Sopor abſtulit ingens,
Multos dirus Hydrops & aquoſus corpore langvor:
Multos ille ſuâ ſervaverit æmulus arte,
Ni qua Fata vetent. Noſtro quid Calculus æri,
Et renum tortura frequens, quid plena lapillis
Commodet ac ſabulo turgens veſica, quid horum
Ignorata tuæ, medicorum natio, turbæ
Differitas, quantumque, ægris obeuntibus, auri,
Et liquet, & meminiſſe piget. Nunc ſingula juſtis
Hic putat articulis, & quo diſcrimine diſtent,
Quo tolli valeant medicamine, quove levari,
Sedulus oſtendit Calpen ita ſeparat altam,
Et Tarteſſiacis Abylâ diſterminat undis
Claviger, & geminis celebratur ubique columnis.
Et tua BUXBAUMI me terret imago ſequentis,
Inque hæc templa furor. Stat ſplendida turris in auras,
Urbsque infrà non parva jacet, ſeu Julia nomen,
Attica ſive dedit generoſæ Palladis ales,
Fertilis illa nucum, Cybeles quæ munera vincant,
Et Zytho celebris, poterat qui nectar haberi.
Hîc

Hîc latet, atq; illas exercet ſtrenuus artes, (ſtris
Hafnia quas docuit, quas Holmia, & æmula no-
Nunc Philurêa lucris, &, priſcis culta Trebocis,
Argentina potens, & leni proxima Varno,
Heu multum inviſæ nobis mercantibus urbes.
Non audita loquor: vidi ipſa, valentibus herbis
Cum raperet capulo, & denſis ſubduceret umbris,
Vatis, perpetuo quem noſtros ludere queſtus
Carmine credibile eſt, & ferre ſub aſtra, nepotem,
Ubere de matris raptum, blando ore puellum.
Nempe velut Stygiis ſubducta eſt Theſſala campis,
Redditaq; Admeto mulier, cum fata ſubiſſet
Ante diem, charo nimium dilecta marito.
Hactenus ipſa virûm, nunc rerum corpora ſur-
gunt,
Abſentesq́; notant, nec deſunt fercula pompæ,
Picta croco, & vario referentia facta colore.
Noſceris hîc aliquis FRIEDRICE, & diceris urbi
Nunc WRATISLAVIAE veteri *præeſſe medendo*,
Digne omni, decorat reliquos qui *celſus*, honore.
Dumq; alius cauſas, & res, & nomina quærit,
Vulgo alius medio quærenti ſingula pandens,
Hæc docto fuerat capiti imponenda tiara,
Hæc humeris trabea, hic digito gravis annulus,
Oſcula quæ cernis, figi illi debita cernis: (inquit.
Quæ dare poma manum, ſumto dare poma labo-
Et præferre animo regali ſceptra puellos. (ri,
Hîc flores ſpargit populus: hîc Leucoris ore
Et titulo Aldorfina novo Philureq; ſalutat
Gratum olim civem. Totum ſibi vendicat illum,
Quam

Quam reliquis certare vides. Draco gutture frendens (tis.
Morborum Heſperidum domitorem ſignat in hor-
Sic ait, & ſimili te, FRITSCHI ambage figurat,
Et miſſu ſimili: niſi quòd data præmia nullis
Amplius extollit verbis, & flumina tantum,
Et montes urbesque notat, queis, docte, moraris,
Aſſidueque capis nova tentamenta, novasq;
Exploras diſcendo vias, quas lugeat hoſtis,
Et torvo Libitina oculo teterrima limet.
Hîc præceps Rhodanus rauco ſeſe agmine volvit.
Tardior hîc Araris: rapida illic unda Garumnæ,
Et quæ legitimos explorat gurgite natos,
Sequana (nec melior latum circumfluit orbem
Fertilitate potens, multumq; ſalubribus undis,)
Auctam opibus murisq; & magno nomine Julî
Urbem hîc in ternas didit pulcherrima partes:
Quarum quæ Muſas ſibi vendicat, illa beato
Nunc ſedes juveni eſt, alias miſſura per oras,
Cum primum vale triſte canet vigor igneus olli.
Ultima (nec temerè pictam gerit ille) tabella
Luctanti fluvio ſignata prioribus æquat
Robore, & extentum juvenem transſcribit in ævum.
Dixerat: illa chorum viſu transmiſerat omnem,
Cum fremit, & numero cultuq; offenſa priores
Conduplicat queſtus, & ſpe dejecta futuri
Inſolabiliter ſeſe angit pectore diva:
Vixq; animi compos, Clauſas has ergò tabernas
Civis,

Civis, ait, cernet, meque iſthac ſurgere menſa:
Solaq; depoſitos revocent quæ corporis artûs,
Ambubaiarum vendent collegia merces,
Et pulchrè inſcriptis ſe pharmacopola culullis
Oſtentabit iners: me non niſi rara juvabunt
Funera, vix ſerâ fatis impacta ſenectâ,
Vix in menſe ſemel? Conturbo, & ſedibus iſtis
Ter depulſa tribus Jano Nonaria damnor,
Converſo in cladem nobis riſumq; Sororum
Fatali numero: neq; me jam Nona vocabit
Nec Decima, in partûs hominum multò æquior horas,
Et pollinctorum, quàm Menæ, infenſior hoſtis.
Dicta queror, poteratque libro ſurrepta vel una
Illa, ſalutarem quam Minos nominat urnâ,
Litera tantorum ſtultam monuiſſe malorum,
Si non ſera oculos ſeſe ingeſſiſſet in iſtos,
Et mens læva mihi, rerumque ignara fuiſſet.
Sus roſtro ſi pingat humi, non illa putanda
Andromachen Ennî deſcribere, Docta revellat
Si manus Autolyci, careat res omine triſti?
Et cur nulla animum ſubiere oracula fratris,
Cum caneret fera fata, atque hanc mihi carmine cladem,
Quinquevirûm ſimili lembo dejectus ab arte,
Panderet: iſta novos ſi gens cata ſumeret auctûs,
Bisque forent quinis juncti duo, ferrea rurſus
Secula funereis germanæ inſtare columnis:
Inque diem hæc ego dici & flecti poſſe putarem
Annorum haut parvâ ſerie: nam credulus annos

Error

Error & inverſos , non nomina docta,putabat,
Enneademque virûm. Nunc vocem fata ſequuntur,
Et verax nimium mihi nuncius impulit aures,
Præſtrinxitque oculos pulcher chorus. Excidat ævo
Illa dies, tantis quæ me deponere rebus
Nititur, & triſtem cymbâ fraudare Charonta,
Juſtitio indicto miſeris. Non Allia,faſtis
Romanis damnata , magis , Cremeræque trecentis
Fœda viris clades expungi flebilis optet ,
Quàm diris devota dies ſe non probet Orbi :
Atque illâ rediens planctûs tantum audiat æther!
Sic ait , & creperas converſo cardine portas,
Multa ſuper Medicis, medico ſuper ordine multa
Queſta intus,claudit : qualis,cum ſecula bellum
Miteſcunt pertæſa, foresque Patulcius obdit,
Arma ſuper clypeosque ſedens fremit ore cruento
Marspiter, & clauſa pacem indignatur in æde.

THEMIS

IX.
THEMIS ÆMULA,

Quum

Poſt Panegyrin Doctoralem, Medicam & Theologicam, intervallo, menſtruo non multò majore celebratam

SUMMI IN UTROQVE JURE HONORES

conferrentur

QVINQVE VIRIS

DIVINARUM ET HUMANARUM RERUM SCIENTIA LONGE CLARISSIMIS

GODOFREDO STRAUSIO, WITTEBERG.
MARTINO ZACHAR. CRAMERO, NORTHUS.
JOACHIMO ALBERTO LOCHERO, LIPSIENSI.
JOHANN. ULRICO MAYERO, LIPS.
WILHELMO ROMANO, LICHTENSTEIN.

XI. Kal. Nov. A.E.C. cIɔ Iɔc LXIIX.

AD.

AUGUSTÆ. THEMIDOS.
SACERDOTES.
TRIUMVIROS. NOBILISSIMOS.
DIRIBENDIS. HOC. TEMPORE.
HONORIBUS. DOCTORALIBUS, DESIGNATOS.

PROCANCELLARIUM.
SPLENDIDISSIMUM.
TOBIAM. MOEBIUM. J. U. DOCT.
FACULT. JURID. ASSESSOREM. ELECT.
ET. DUCALIS. CURIÆ. PROVINC.
ADVOCAT. ORDINAR.

PROMOTOREM. GRAVISSIMUM.
FRANCISCUM. ROMANUM. J.U.D.
ACAD. ANTECESSOREM. ET. SYNDIC.
CANONIC. MARTISB. ELECT. ET. DUC.
CURIÆ. PROVINCIALIS. ET. FACULT. JURIDICÆ. ASSESSOREM.

COMPROMOTOREM.
MAXIME. CONSPICUUM.
ENOCHUM. HEILANDUM. J. U.D.
FACULT. JURIDICÆ. ASSESSOREM.
ET. CAUSARUM. PATRONUM.
CELEBERRIMUM.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Nota, Patres, vobis, velutiq; domeſtica nota,
Cur peregrina Themis cur aliena venit?
Non vox, non color eſt, non vultus ſcilicet idem,
Cenſeri ſignis non eadem ipſa poteſt.
Ipſa eadem eſt, nolite deæ diffidere veræ,
Quæ ſacris quondam ſe ſtitit, ipſa eadem eſt.
Ipſa eadem antiquos per Vos diſpenſat honores,
Ipſa eadem veſtris plaudit amica choris.
Nec, ſi placato quondam ſe præbuit ore;
Motum animo facilem non generoſa capit.
Euſebie charos & Hygéa ornavit alumnos:
Poſtponi gentem cur ferat illa ſuam?
Nimbo tecta Venus, maculoſæ & tergore lyncis
Viſa alia Æneæ; ſed Venus ipſa fuit.
Nec fallet vos veſtra, VIRI. Deſerveat æſtus,
Priſtina erit vultu, voce, colore Themis.

Quæ

QVæ blandam ſe caſta Themis facilemque
gerebat,
Ad ſua cum cœlo ſacra conciliata rediret:
Et Samio velata habitu ſpirabat amorem
Delitiasque meras: nunc indignantia quare
Solverit,atque minax ad feſta hæc verterit ora,
Quærere fert animus. Vos ô chariſſima Divæ
Corcula, ne veſtro quicquam decedere honori,
Ne gravibus meritis,quibus exſplendeſcitis, oro,
Hac intemperie validaque putetis orexi.
Seriùs impoſitum capiti tergoq; revinctum
Ringitur illa decus,parteſq; tenere priores
Vos incenſa cupit, ſolitoque anteire triumfo.
Eſt,ubi tergeminas Philyre ſibi copulat undas,
Naſcentemque roſam ſinuoſo murmure mulcet,
Regia,Mygdoniis non illuſtrata columnis,
Nec Libano furata trabes, nec poſtibus aurum,
Auro nec ſimilem tectis complexa pyropum.
Omnia ceſpes habet, vario quem Flora colore,
Dædaleas imitata manus,diſtinguit,& inter
Umbriferas fingit ſalices iterumq; refingit.
Simplicitas commendat opus, dum ſcrupeus im-
Materiæ vitium tacita gravitate rependit, (brex
Qualiter extiterant juvenis cunabula Romæ.
Illic Diva gravem curarum abſcondere molem
Gaudet,& innocuæ captare ſilentia ſilvæ:
Sive ſuam luſtrare fugam terraſque relictas,
Sive juvat reducis ſubducere commoda ſecum,
Sive etiam ſceleri bellum ferventius inſtat.
Ardet enim tenero vicinæ gentis amore,

Lipſiacumq; colit clementi Numine nomen,
Quippe ubi conſpicuas meritâ virtute columnas
Juſtitiæque videt ſtatuas fulgere brabeis:
Quæ veteres reddunt memori pietate figuras,
Et, ſeu ſera iſtis debetur adorea factis,
Extollunt ſanctos muto clamore labores,
Seu juvenes par eſt tantis florere magiſtris,
Scintillas rapidas in poſteritate relinqvunt.
Ah quoties recolit capita admiranda virorum,
Quos immortalis fato pœnè abſtulit ætas,
Dum quaſi Phœnices quidam poſt fata reſur-
gunt,
Atque ſepulcra novas faciunt in funere cunas,
Spirantes alii revocato in ſemine vivunt
Buſtum ante & cineres, ſeſeq; parentibus æqvant.
Ah quoties turres excelſaque tecta recenſet,
Luminibusq; avidis muros circumſpicit urbis?
Sic ſibi ſubmiſſas formoſa Semiramis oras
Penſilibus ſecum ſæpè obſervabat ab hortis:
Punica vel Dido nondum Phryge ab hoſpite læſa
Non abſolvendas oculis diviſerat ædes:
Sic Themis aſpectu, ſed proſperiore, tenetur,
Curasq; in melius vertit. Sed dicite Muſæ,
Quas dea non pridem leviter conceperit iras,
Quodque odium blando non fruſtrà illuſerit ori.
Implebant placidam ſubitis mugitibus auram
Æra, à conſpicuo templi quæ vertice pendent,
Gaudiaque & luctûs linguâ teſtantur eâdem.
Augebat ſtrepitum litui raucedo, nec illam
Verba minus populo gratanti fuſa decebant.
Pom-

Pompa erat, & ſummum tangebant Aona plauſq;:
Accurrit longæva Themis, comitatur euntes,
Atque oculis habitura fidem ſpectacula poſcit.
Euſebie ecce venit violâ conſperſa recenti,
Luxuriant pictæ dulci ferrugine mitræ:
Nec procul hinc oſtro juvenili ſplendet Hygéa,
Et nuper tinctam teſtatur purpura lanam.
Hæc videt, hæc imo paulum ſub corde volutat,
Volvendoque premit, nec laxat vincula linguæ.
Poſt ubi cunctando juſtam dolor exit in iram,
Invida commoto ſermone ſilentia rumpit.
Ergò, ait, una meam video confuſa cohortem,
Et caret hic noſter repetito murice vertex.
Nunc ita deſpicior, primis nunc digna reponi
Sedibus, ad poſtrema trahor ſubſellia Pindi.
An Themidos revocâſſe pudet venerabile nomen,
Noſtraq; turgentes violat præſentia terras?
Scilicet hoc donum mihi pax requieſque refun-
dunt,
Et, cui plenam aliàs vitam debere fatentur,
Pœnitet exſolviſſe ſuos cum fœnore honores.
Ite, ite ô miſeræ, noſtros contemnite quæſtus:
Spernite, difficili laudes quas mole tuemur:
Sic ſcelus, inſidiæ, vis, fraus, dolus atque libido,
Vel ſi deterius quicquam datur hoſtibus iſtis,
Pectoribus noſtris cultus lætentur ademtos,
Incumbantq; novo veſtris cervicibus æſtu.
Illa ego, (nec propria s fas non mihi pangere lau-
des,)
Illa ego ſum, quæ vos, quæ pulpita veſtra guber-
(no,

Regibus aſſideo, nec pars ignobilis aulæ
Principis irrupto contemplor lumine vultûs,
Quos niſi cum trepido ſubjectio veſtra timore
Non ſufferre poteſt, ſi fortè precarius inſtet
Acceſſus, voti & rariſſima copia detur.
In medio veſtrûm poſuit me clara vetuſtas:
Omen adeſt, virtus medio conſiſtit, & inter
Sidereos Titan medius ſe ſuſtinet orbes:
Et quæ vos parili videor concludere nexu,
Nunc potero dextram, nunc porrò juvare ſini-
ſtram.
Teque adeò, Pietas, tueor, gratiſſima cœlo,
Commonſtroq; lubens, ſummi quodcunq; colēdi
Numinis officium primis ſibi vendicet æther:
Præſidio quoq; promta tuo, quæ gnara medendi
Inſtauras me feſta prior, morbiſq; fugandis,
Ne patulæ tetris vitientur odoribus auræ,
Et ſerpat per tecta lues, vigil excubo ſemper,
Extrema an merui delubra, illoque locari, (nobis
Poſt quem nemo, loco? Conſumta eſt purpura
Scilicet, & doctos nulla hos teget infula crines
(Et capita oſtendit juvenum, quibus abdita dudū
Crediderat conſulta ſui) jamjamq; Sophorum
Cunctantes, video, nos vincet amabilis ordo,
Dilectaſq; ſibi decorabit munere frontes.
Deficior verò magnorum luce Virorum,
Nullus & hic ſuperat Juris Legumq; Sacerdos,
Nimirum evaſit mihi Papinianus & ultrà
Incorruptam animam nullo ſub corpore volvit:
Et gemit obſcuris nunc Juſtinianus in umbris.

Nunc

Nunc fruſtrà placuere mihi mea pignora, quorũ
Vertice vel cœli molem reſidere putabam.
Nunc noſtras tetigit pudibunda ſuperbia mentes,
Herorum quoties vivam ſpectare coronam
Juvit, & egregios juvenum ſignare patronos.
Aſt ego factorum SCHVVENDENDORFERE tuorũ
Perpetua eſſe comes dignata & credula teſtis
Judicio ſtrepitum forſan meliore notavi,
Qui ſine fine tuas pulchrè circumſonat ædes,
Ut vox crebra Jovem, Dodoneosq; receſſus,
Juſtitiæque decus tanto cuſtode perennat.
Vixiſti, at porrò curſus fortuna ſecundos
Afferat, & digno ſinat affulgere labori,
Quos ſequeris radios: venturis adſtrue luſtris,
Robur & emeritos juvenile reſarciat annos,
Ævi maturum reparavit ut Æſona Colchis.
Sic quoque votorum ſpes intemerata piorum
Floreat, & fructus placidè feſtinet amœnos.
Te mea non falſum deſignat gloria centrum,
Solus & abſolvis noſtræ compendia laudis.
Cerno equidem reliquos conſcripto ex ordine Patres,
Quos eadem virtus ſtudio conjungit eodem,
Qui ſemper ſimilesq; ſibi ſimilesq; chorago
Propria contendunt ſuperare encomia factis,
Nec niſi in extremam conſpiravére ſalutem.
MOBBIUS ecce gravi qui nunc accingitur oſtro,
MARTIA dum ſacram diſpenſat gratia ſpartam
Principis & vires, æqvum teſtata favorem
Penè ad tempus idem quatuor diffundit in ora.

Ille poteſtatem poterat jactare verendam,
Heu nimium tardè monſtratam ſedibus iſtis,
Præcipitare ſuos aut antè hos vertere menſes.
Debebat. Quid enim Romani fata moratur,
Cujus ſancta manus jamdudum præmia ſervat,
Sertaq; præclaris merito annumerata capillis?
Neſcio quis certè pruritus vellere dextram
Cernitur Heilandi, dum vix retinére brabéa
Tam matura valet, dives ceu fructibus arbos,
Dum ſua perfecto complevit fœnora ſucco,
Autumno veniente fugæ velut admonet, atque
Ad lapſum, pronæ molis pertæſa, laceſſit.
At vos ô Juvenes, capita ô dulciſſima, quorum
Sedulitate ſibi formoſum pollitica ævum
Poſteritas cœpit ſeclis illudere noſtris,
Vos doleo, & dignos differri indignor honores.
Nam quis te potior multum ſvaviſſime Straussi,
Sive tuum peperit reſplendens Struthio nomen,
Tu ferrum ingenii ferventi concoquis æſtu;
Sive magis flores collectaq; lilia ſignas,
Tu mihi delitias, gratos tu gignis odores.
Intereram primis olim natalibus atque
De meliore luto fieri tibi corda jubebam.
Invigilate meo, dicebam, pignori, & iſtud
Perficiendæ animæ ſervetur amabile corpus.
Audierat juſſus Vir nunc lacrimabilis Albi
Paschate perpetuò ſumma qui ſede beatus
Nil deſiderium præter famamq; reliquit.
Nec mora, ſub curam faciles in tempore nervos
Ire jubet, fructumq; operis ſperare futurum:
Alter-

Æternatq; pios tandem Philurina labores
Præſide, quem corvi ſub nomine ſignat Apollo:
At ubi ſat biberant pulcherrima prata, nec inter
Umbriferæ libitum eſt arcana ſeneſcere Muſæ,
KIENGELI ſonitus patientes occupat aures,
Naſcendique cupit ſtudiiq; oſtendere finem.
Sic docuit ſenſim magnis adſveſcere dictis,
Dux ZIGLERE, tuis, LEDERERI unà atque LYSERI
NERGERIque ſimul SIMONIADAEque paleſtris.
Jam Witeberga ſuum rurſus te fecerat, ecce!
Lipſia pro merito Sophiæ jubet eſſe Magiſtrum:
Et magis ECKOLTI penitus commendat amores,
Et poſtquam in mentem patrii rediêre penates,
Ipſa tibi legum ſacraria ſumma recludo,
Oſtendoq; tuæ faſtigia debita fronti.
Æmula ſed noſtris te Leucoris eripit oris,
Nullaq; blandimenta negat vel ſigna favoris.
Ipſa ferunt te roſtra ducem vidiſſe, decusq;
Undique ter quinos multum creviſſe per actus,
Aſt iterum Pliſſæ lenta expectatio ſalve:
Forſitan es meritus, præter mea vota manendo,
Ut me, te, reliquosq; alia expectatio fallat.
Salve etiam geminæ Legis CRAMERE voluptas,
Inſtitor ingenuæ decantatiſſime mercis.
Et mecum hanc animo remoram indignare dolenti.
Namque in te NORICI dilecta reſurgit imago,
Quem fortuna quidem noſtris oſtenderat oris,

Ultrà eſſe haut voluit, clara nunc lucet in Aula,
Et quaſi de ſpecula veteres agnoſcit amores,
Atque repercuſſam proprii te nominis umbram,
Narciſſo melior, ſolido ſub corpore cernit.
Ah quoties oculo tantis in dotibus hæret,
Quasque ſuæ poſſet ſolas aſcribere curæ
Dividit in reliquos largâ pietate magiſtros.
Has, ait, HILDEBRANDUS habet cum fœnore lau-
Cui vidiſſe parem negat atra Hercynia, ſive (des,
Doctrinæ pretium, ſeu candida pectora ſpectes.
Iſtos ALBERTI perduxit dextra lepores,
Hîc ſeſe extollit Magni cultura SCHACHERI,
Hæc probat ECKOLTI moles ſuperaddita niſum,
Illaq; SCHVVENDENDORFERUS præconia poſcit.
Ipſe tamen NORICUS ſe non abſcondit, & omne
Doctoris punctum tacitè meruiſſe fatetur.
Vive modò, & noſtræ perdura longius urbi,
Aut noſtrûm memori fige hæc veſtigia greſſu,
Tuq; ſimul LOCHERE tuæ virtutis abyſſum
Jacta hîc, & magnum præſta te parve Cratetem.
Lipſia te genuit, jucundisq; aſſita cunis
Effudit roſeum voto præeunte decorem.
Aſt erat infatis, chari ut fortuna parentis
Ammonis juxtà placidè conſideret Albim.
Hinc, elementa tibi WESTHUSIUS atque MOSERUS
Poſtquam propitiis inſtillavêre Camenis,
Lampada LAMBETIUS conceſſam accepit, & ille,
Cui calamum Andinus, linguam cui Tullius inflat,

KIR-

KIRSTENIUS, laudum non ultima cauſa tuarum.
Hæreo: quid reliquos opus eſt attingere fando
KLENGELIUMq; & MARTINUM, duo pignora RUTAE,
Quos Witeberga tuo capiti præfecerat olim:
Vel SCHVVENDENDORFERIADEN, NORICUM atq; SCHACHERUM, (jungit?
ECKOLTUMq; gravem, quos alma hîc Lipſia
Sat loquitur doctæ cultiſſima gratia mentis,
Auctoresq; refert, tanto conamine dignos.
Tu quoq; præclarum timidâ caput exere turbâ:
MAYERE, ô magni fiducia magna parentis,
Qui MAYERORUM fulgentia BRAUNIADUMq;
Nomina non leviter certis acceſſibus auges.
Te SCHONBERGERO STERNBERGEROq; remiſſâ
Vidi vix puerum ſpectare cacumina montis:
Quem NEUSCHELLERI magis, & magis optima GLAUCHI
Dexteritas propiore jubet contingere vultu,
Adjiciente manum CRAMERO, THOMASIOq;,
RAPPOLTO & reliquis, Patri inſervire paratis.
Sic poteras Viadrum non contemnendꝰ alumnꝰ,
Ac BRUNNEMANNO quaſi filius alter & hæres,
Doctior auſpiciis lætis rediturus, adire.
WOLFIUS accedat, RHETIUS, DECHERUS, & unâ
Virga Virûm meritam deprædicet ore coronam;
Ultrò ſe adjungêt NORICUS ſeniorq; SCHACHERꝰ,
SCHVVENDENDORFER & ECKOLTUS. Sed ſigna realia, qui externo cupit inoteſcere fuco: (quiran-
ſa ſibi virtus in te certiſſima teſtis.

Et tu, cura mei, ROMANE, incurris ocellos,
MARTI, RIDELI ac ALTVVEINI haut irrita cura?
Sed quos aggredior! Num Te MESONYCTIE, qualem
Gera nec aſpexit, Cizæ nec templa tulerunt?
Tu Patrum & Juvenum ſpes non aſſvetus avaras
Eripere, aut florem mendaci fallere fructu
Vertebas mediam fauſto ſub ſidere noctem;
Atque inter nixus veluti parientis anhelos
Nec vanos ſancti ſentire laboris abortus
Contigit, aut charos in pejus vergere partus.
Oſcula fige tuo plusquam pater ultima nato,
Et, ſi TÖPFERI comitis non pœnitet, iſtum
SCHRÖTERUMQ; magis diviſa in gaudia adopta.
Tu benè plantâſti, poſt inclita SALA rigavit,
Lipſia nunc cupiente DEO dedit incrementum.
Nam vos ROMANI, quos ſanguinis alta propago
Commune & ſtudium nexu propiore revinxit,
Conſpicui virtute Viri, vel magne PHILIPPE,
Hujus & illius rariſſima gemma Senatûs;
Ordine ſi fas eſt te compellare priori,
Dicite num Generi, cognati aut tædeat ortûs.
Certè ego promiſſos ſervo conſtanter AMORES,
Publica quos hilari ſpondebat voce cathedra.
Obruor ingeniis, feſſamq; hæc turba loquendo
Et verbis inopem lectiſſima copia fecit.
Quid moror, & ſurdis ſcindo hæc penetralia dictis?
Sat ſumus eluſi, capita ô ſvaviſſima, ſi vos
Dedecus & matris veſtriq; injuria tangit,

Con-

Confluite & quasvis potiùs perquirite ſedes;
Eventus Themidem lædi bis poſſe negabit.
Dixerat, extemplo ſinuoſum cingit amictum,
Altior & faciles invitat fimbria curſûs.
Tunc caſum miſerata parens ACADEMIA, ſceptrum
Injicit in tumidas extremâ cuſpide veſtes,
Luctandoq; gradûs petit obſervare minores.
Quò ruis, exclamat, ſeu te decet eſſe ſororem,
Seu matris titulo fas eſt agnoſcere natam?
Quæ malè compoſitam rapit indignatio mentem?
An ſecus acceptum trahis in pejora favorem,
Atque viros juſtè decoratos jure dolebis?
Quin potiùs veteris volvis fata invida Pragæ:
Nec, quia natales per tot certamina cepi,
Torva ſinis ſimiles moriendi plangere cauſas.
Tempore, non ipſo potiores cernis honore.
Ultima nec primis ſunt deteriora: quid auro
Pulchrius? Aſt imas in flumine concipit undas,
Poſtremamque gravi deſcenſu verrit arenam.
Non ſumus exhauſti; nec deficit altera Laurus;
Forſitan hæc folio fronteſcit virga recenti,
Quæ tibi majorem queat indulgere nitorem.
Flecte modò inceptos revocato lumine greſſus.
Sic poſtquam tenero deceſſerat ira pudori,
Maternam ſimulat non advertiſſe loquelam.
Intereà recoquit ſano ſub pectore flammas,
Non benè commotas, pedibus mandare quietem
Incipit, & faciem preſſo deſigere calle.
Advolat EUSEBIE Divam gratata receptam,

Et tu, cura mei, ROMANE, incurris ocellos,
MARTI, RIDELI ac ALTVVEIMI haut irrita cura?
Sed quos aggredior! Num Te MESONYCTIE, qualem
Gera nec aſpexit, Cizæ nec templa tulerunt?
Tu Patrum & Juvenum ſpes non aſſvetus avaras
Eripere, aut florem mendaci fallere fructu
Vertebas mediam fauſto ſub ſidere noctem;
Atque inter nixus veluti parientis anhelos
Nec vanos ſancti ſentire laboris abortus
Contigit, aut charos in pejus vergere partus.
Oſcula fige tuo plusquam pater ultima nato,
Et, ſi TÖPFERI comitis non pœnitet, iſtum
SCHRÖTERUMq; magis diviſa in gaudia adopta.
Tu benè plantâſti, poſt inclita SALA rigavit,
Lipſia nunc cupiente DEO dedit incrementum.
Nam vos ROMANI, quos ſanguinis alta propago
Commune & ſtudium nexu propiore revinxit,
Conſpicui virtute Viri, vel magne PHILIPPE,
Hujus & illius rariſſima gemina Senatûs,
Ordine ſi fas eſt te compellare priori,
Dicite num Generi, cognati aut tædeat ortûs.
Certè ego promiſſos ſervo conſtanter AMORES,
Publica quos hilari ſpondebat voce cathedra.
Obruor ingeniis, feſſamq; hæc turba loquendo
Et verbis inopem lectiſſima copia fecit.
Quid moror, & ſurdis ſcindo hæc penetralia dictis?
Sat ſumus eluſi, capita ô ſvaviſſima, ſi vos
Dedecus & matris veſtriq; injuria tangit,

Con-

Confluite & quasvis potiùs perquirite ſedes;
Eventus Themidem lædi bis poſſe negabit.
Dixerat, extemplo ſinuoſum cingit amictum,
Altior & faciles invitat fimbria curſûs.
Tunc caſum miſerata parens ACADEMIA, ſceptrum
Injicit in tumidas extremâ cuſpide veſtes,
Luctandoq; gradûs petit obſervare minores.
Quò ruis, exclamat, ſeu te decet eſſe ſororem,
Seu matris titulo fas eſt agnoſcere natam?
Quæ malè compoſitam rapit indignatio mentem?
An ſecus acceptum trahis in pejora favorem,
Atque viros juſtè decoratos jure dolebis?
Quin potiùs veteris volvis fata invida Pragæ:
Nec, quia natales per tot certamina cepi,
Torva ſinis ſimiles moriendi plangere cauſas.
Tempore, non ipſo potiores cernis honore.
Ultima nec primis ſunt deteriora: quid auro
Pulchrius? Aſt imas in flumine concipit undas,
Poſtremamque gravi deſcenſu verrit arenam.
Non ſumus exhauſti: nec deficit altera Laurus;
Forſitan hæc folio frondeſcit virga recenti,
Quæ tibi majorem queat indulgere nitorem.
Flecte modò inceptos revocato lumine greſſus.
Sic poſtquam tenero deceſſerat ira pudori,
Maternam ſimulat non advertiſſe loquelam.
Intereà recoquit ſano ſub pectore flammas,
Non benè commotas, pedibus mandare quietem
Incipit, & faciem preſſo defigere calle.
Advolat EUSEBIE Divam gratata receptam,

Nec renuente rapit Tyrii fulgoris HYGEA
Inſignes apices, Themidemq́; ſalutat in oſtro,
Et SOPHIE plenis manibus dare lilia gaudet.
Sic triplicem geminat mater cautiſſima pompam,
Eunomieq́; roſas oculis adſpergit amicis.

COMITIA PROVINCIALIA
à
Sereniſſimo ac Potentiſſimo Saxoniæ Electore
JOHANNE GEORGIO II.
&c. &c. &c.
PIO, CLEMENTI, MUNIFICO,
A. E. C. clↃ Iↄc LXX.
Dreſdæ indicta
Auſpicatiſſimum reſignandæ Poëticæ & inchoandæ Theologicæ Profeſſionis tempus ſperat
D. FRID. RAPPOLT. POESEOS
hactenus, nunc Theologiæ Profeſſor Ordinarius
IN ACADEMIA
LIPSIENSI.

A Te principium, Tibi deſinet, Enſifer Heros,
Magne Pater Patriæ: poſtquam me ſacra verendæ
Euſebies dein caſtra ſequi, curasq; profanas
Linquere, & æternos pro Cyrrha impellere fontes,
Relligioſe, jubes, cœloq; advertere mentem,
Primo dicta mihi Majorum facta tuorum
Carmine, & Auguſta molimina ſplendida in urbe;
Exequiæ medio magni exuviæq; Parentis:
Conſpectusq; Tui, par Soli viſus, Eoo
Cum ſe mane novo renovatus gurgite tollit.
Quid vetat extremum Tibi devoviſſe laborem,
Et rude donatum cæſtus hic ponere & arma?
Nempe ita Diva modò, cum clara in luce videndã
Se mihi præberet, nec tecta prioribus umbris,
Incitat Euſebie, Charitumq; ſimillima mentem
Huc animumq; trahit, nec falſo numine complet.
Ergò, ait, ad noſtros totum te denique colles
Principis & caſtas deduxit gratia Muſas
Aone ſummotum ſtreperoque cacumine Pindi,
Antiquas nec paſſa moras: cœleſtia tantum
Sepoſitis aliis meditari, atq; ardua juſſit
Argumenta poli ſtudioſæ pandere turbæ.
Monſtratum tibi ſcande jugum, tantiq; faceſſe
Sancta Ducis mandata libens, cui ſe ipſa faventi
Relligio, & cultus tibi quondam adſternit Apollo,
Obſequioq; ſubeſt. Tenet ille hæc regna, nec ulli
Fas temerare ſacrum, vel avitum evertere morem,
Servantesq; juvat. Nec, ſi tibi pingvior ille
Mons, qui verticibus petit arduus aſtra duobus,

Viſus, in hoc noſtro ſe Munificentia claudi
Præſidii patietur inops & Principis ardor.
Non tenebris ille abdit opes, ſed largior imbre
Spargit in Aonias felix ſua dona catervas,
Exuperatq; datis, Pactolum imitatus,& undas,
Herme,tuas, rutilas vel qui,Tage,volvis arenas.
Vel Charites agnoſce tuas, quas munere dives
Auxit,& in numerum juſſit ſuccedere quartam,
Sylvarum laticumq; potens. Non major haberi
Trajanus,triſti qui tempeſtate Camenas
Oppreſſo facilis Latio reſpexit & artes:
Non bonus Auguſtus magis,aut qui proximus illi
Mæcenas pietate fuit factisq; benignis,
Poſſit,& extentum transmittere nomen in ævum.
Sic ait, & partem ſeſe convertit in illam,
Quâ grave concilium ſacram revocabat in urbem
Majeſtate potens Princeps:dumq; aſpicit illum
Heroum in medio,ſic,inquit, lactea Divos
Præcipuos ducit via magni ad tecta Tonantis,
Regalemq; domum: Sic cunctos ordine ſiſtit
Diſtribuitq; locis,ſumma ipſo anabathra tenente.
Cauſa ſubeſt melior tamen, & lex prima, vetu-
Imperii ſervaſſe decus,populiq; ſalutem (ſtum
Et curas reſeraſſe graves: quo caſta teneri
Relligio extendiq; modo per ſecula poſſit,
Luſtrandæ quæ impenſa deæ? Quæ promtior
artes
Ducat ad ingenuas via? Quas æraria vires
Contineant,ſacris ſervandis condita rebus?
Quæve æquent cives data? Quæ concordia lites
abbre-

Abbreviet? Luxus quo ſe ſubducat honeſto
Depopulator opum? Quo famam injuria lædens,
Ultio ſi ferrum neget & certamina? Quantô
Fortè levamentum ſe porrigat ære tributi?
Quæ Martem conſcripta Scytham vis arceat orbe,
Conſcriptam queî civis alat? Queî Juno monetam
Purior exhibeat nec fucet adultera nummum?
Aurum quæ exhauſtis ſervet moderatio terris,
Annonâ contenta ſoli. Succedere curis
Omnibus unus amor, pectusq; levare Dynaſtæ,
Mite illud blandumq; ſuis. Stant ſingula juſtis
Librata arbitriis,& voces facta ſeqvunntur
Obſequioſa Duci. Non Romæ pronior ordo
Tergeminus campo domini conſulta capeſſit,
Et Latium omne beat ſacri ſcius atq; profani,
In cœtumq; coit. Lenem cum Cæſare dicas
Principem in optivos partiri jura Qvirites,
Centuriasq; ſequi: Sive eſt oneranda curulis
Conſule,ſive novo rigidum Prætore tribunal:
Seu Cenſore opus eſt prætextatoq; magiſtro:
Condere ſeu leges pacemq; & bella jubere
Fas,ſeu judiciis hoſtes inceſſere juſtis
Infenſos patriæ: ſeu Flamine ſacra tueri
Pulvinarque deûm. Quæ dum videt ipſa, quid, inquit, (angit,
Quid timet ille meus, quid mentem improvidus
Res terret dum anguſta domi, ſanctiq; laboris
Præmia,ducendæ vix reſpondentia vitæ?
Conſiliis ſubjecta, virûm quæ prima laceſſunt
Pectora,quid trepidat? Parvis confidere rebus

Quin paret, & cœpto pro munere, Principis actu,
Illuſtre auſpicium fortunarumq; levamen
Concilium eſſe putet. Nos paſſis æthera palmis
Tentare, & caſtis mitiſſima Numina votis
Sollicitare ſuper, populo ſimul illa Duciq;
Annuerint, pacemq; iſtis & cætera terris
Emolumenta duint, & rebus ritè peractis
Incolumes abiiſſe ſinant. Sic fata, verendos
Principis & procerum vultus non triſtis adorat,
Quaq; iit antè viâ viſa eſt per nubila ferri,
Plena Deo, & Myſiis jam dum clementior oris,
Hoſpitiiq; tenax. Divam comitantur euntem
Incorrupta Fides, Pietasq; potiſſima rerum,
Et ſervans Aſtræa æqui (quanquam illa reverti
Juſſa citò antiquam, ſe plenam, reſpicit urbem)
Et ſimul alma Salus, veteri dum ſede recepta
Spem videt, & lætis deſertam amplectitur alis.

HEROICORUM FINIS.

FRID. RAPPOLTI
Liber
MISCELLANEO-
RUM.
ANNO MDCLXX.

[illegible] by Google

EUCHARISTICON.

Ad

Perilluſtrem & Generoſiſſimum

Dominum

HEINRICUM

L. B. à FRISEN,

Mæcenatem Summum.

Digitized by Google

GRatias agere meditor, ILLUSTRIS HEROS, ſacratisſimis tuis epulis nuper honoratus: noviſſimè etiam munere donatus. Quibus ſi addam benignum, quod de homine tuliſti, judicium: vereor, ut ſuſceptum explere munus, pro eo ac decet, poſſim. Pasſienus quorundam ſe judicium malle, quàm beneficium: quorundam beneficium, quàm judicium dicebat. Et ſubjiciebat exempla. Malo, ajebat, Divi Auguſti judicium: malo Claudii beneficium. Mihi nulla hîc relicta optio: cui utrumq; ab eo contigit, quem neque munificentiâ facilè quis vicerit, nec exactisſimâ judicandi facultate æquârit. Regnum, HEROS, tenes in his literis, & ex illo faſtigio identidem ad manſvetiores has Muſas reſpicis. Credo, ut non expresſius aliud Filius exemplum habeat: quo & ad ardua illa civilis ſapientiæ culmina enitatur, & per amæniores hos Muſarum campos tantiſper decurrat. Macte hac felicitate tuâ, SEMO, & quem initiari nuper his ſacris voluiſti, ad adyta ipſa illuſtri Tuo exemplo citò ac feliciter perducito. Nos pro Utroque æterno Numini ſupplicabimus, & quæ in Parente veneramur immortalia in Remp. merita, in filio non vanâ ſpe præcipiemus. Dab. Lipſiæ X. Kal. Jul. A. E. C. cIↃ IↃ CLXV.

Ex-

EXciderant nondum dominæ convivia menſæ,
Atque animo grandis ſæpè redibat honos:
Jam mihi Papinii, jam votæ in carmina vires,
Ambroſiâ ſaturæ, Bilbilitane, tuæ:
Aurea cùm magnus mihi pocula deſtinat Hoſpes,
Et menſæ cumulat dona priora ſacræ.
Conturbo, veſtræq; lyræ diffido, Poëtæ,
Jamque aliquid veſtro carmine majus adeſt.
Nam ſeu felices amor eſt expendere menſas,
Seu certare dato munere utrinque juvat:
Poſſit adoratâ, quàm vobis, Mantua lauro
Suffeciſſe minus Smyrnaq; juncta mihi.
Iliacâ porrecta manu vos pocula mulcent:
Miſſa domum pulchrâ ſe mihi ab arte probant.
Terret corda furor blandâ ſub fronte repoſtus:
Explorata bonis me beat aura Viri:
Et quæ ſola homines æquat clementia cœlo,
Et mixta facilis cum gravitate decor.
Nec, ſi vos mediis vobis diſcumbere in aſtris
Viſi, cœleſtis ſors mea facta minor.
Nam, qui me comi ſpectarunt lumine vultus,
Fas mihi non unos poſſe putare deos.
Ipſe pater divûm, Latona ſed ipſa, Diana
Filia, fronte puer candidâ Apollo mihi:
Qualis erat caſtis primùm datus aſſecla Muſis,
Nondum etiam Aonii duxq; caputq; chori.
Cœlo digna loquor, veſtrumq;, ignoſcite faſſo,
Hoc dono, his epulis ingenium omne minus.

Ergò

Ergò ſi tanti non æquant munera vates,
Carmina ſi meritis inferiora tuis,
Magne Baro, divûmq; epulis accumbere majus,
Quàm promta in numeros lingua referre queat:
Da veniam, & gratæ ne deſpice mentis acerram,
Et præſta faciles hac quoq; parte deos:
Parva quibus tenui placuerunt farra ſalino,
Inque ara ceſpes ſæpè probatus iners.
At vos Mnemoſyne penetralibus ima recondat,
Par quoniam tantæ gratia nulla rei, (ſtet,
Atque Heben vobis, pulcherrima munera, præ-
Aut puerum, madida eſt quo Jovis aula Phry-
gem.
Proma nec hinc unquam tingendo proferat ori,
Quin tanti Herois pota ſit antè ſalus.
Illa ſalus, quâ noſtra ſimul Patriæq; tenetur,
Quâ Patriæ ſalvum ſe videt ipſe Pater.

Ad

Ad
Illuſtrem ac Generoſam
DOMINAM
D N. HENRIETTAM
CATHARINAM,
CAROLI, L.B.à Friſen,
Natu majorem
FILIAM,
VIRGINEM
Supra ſexum & ſeculi genium
piam atq; eruditam,
Qvum LIPSIAM veniſſet,
Anno cIↄ Iↄc LXV.

Ergo

Digitized by Google

ERgo ades, illuſtri ſata Virgo ſtemmate, & Hæmi
Infer Te noſtri gloria ſumma jugis.
Ecce ſtupet, citharamque Tibi ſummittit Apollo,
Et cantu aſſurgit turba novena tuo.
Namque aliquis noſtras tractare ait acriter artes,
Et vatum aſſiduâ volvere ſcripta manu,
Poſtque Dei cultum, poſt cultum utriusque Parentis
Ingenuis ſtudiis nil coluiſſe magis.
Quid loquar? Aonias Te famâ æquare puellas,
Et Latias nobis reddere velle nurûs?
An generi miſcere tuo titulisque Camenas,
Et vetus abjectis conciliare decus?
Quales Heroum nec iniquo ſanguine ſponſas
Alta Croton Samiâ prætulit arte Viris:
Maſcula vel qualis modulata eſt pectine Sappho,
Clauſa ſuis numeris verba ſonante chely:
Vel Latiis cecinit Grajisq; immortua chartis
Imperii occidui nupta Serena Duci.
Quicquid id eſt, raris Te cernit dotibus Orbis,
Poſteritasq; viros inter adulta canet:
Nec tua præſentis Philuræis gratia Muſis
Excidet, aut merſus tempore obibit honos:
Quin decimam te læta vocent Tilieta ſororem,
Et numero exultet noſter Apollo pari.
Aſt ego, dum indocili viləſcunt carmina vulgo,
Erigor exemplo, docta virago, tuo,

Atque,

Atque, ubi Pierii gignunt faſtidia cantus,
Ingenio dominæ, dico, quid ergò placent?
Meque ad deſertas refero fidentius artes,
Et Patri officium Principibusq; probo.

Elegidion
de
ANONYMO CARMINE
in
AUSPICATISSIMUM CONJUGIUM *SERENISSIMORUM PRINCIPUM HÆREDITARIORUM,* ELECTORATUS SAXONICI, *ET* REGNORUM DANIÆ NORVAGIÆQVE
ſcripto,
A. MDCLXVII.

QVæ nova inaſſvetis aperit ſe carminis ætas?
Inſolito geminos quis canit ore deos?
Altaque Saxonicis redeuntia ſidera terris
Applauſu, veterum non leviore, colit?
Elyſio rediens auguſtis carmina valvis
An figit, Phrygium qui grave ſtruxit opus,
Et ſpem plebeiis ad præmia larga Poëtis,
Et famam & nummos ſe renuente, facit?

Quiſquis es, antiquos exæquas carmine vates,
Et ſuperas numeris ſecula noſtra tuis:
Nec mage ſuppreſſo nos fallis nomine, natum
Quàm poterat Tyriâ fallere veſte Venus.
Eſſe deam vultus notat, & vox æmula divis,
Et plusquàm humanâ prompta ſagitta manu.
Noſceris, & docto te prodis carmine nobis,
Proditur arguto Lesbia ut ipſa ſono.
Jamque humiles penitùs linquis poſt terga Bathyllos,
Et, major cunctis vatibus, aſtra petis:
Utq; deos propiùs contingis ſanguine, verſu
Sic infrà poſitos ſplendidiore gravas.
Parce, precor, noſtris ſubluſtri lumine Muſis:
Obruimur radiis, Lux recidiva, tuis:
Qualia ad exortum ſe condunt ſidera Solem,
Et fugit aurimicis Heſperus ipſe comis;
Dumque aliquid denſa meditamur fortè ſub umbra,
Collatum in nebulas mox abit omne leves.
At tu, quem tenui conamur prodere verſu,
Dum reducem noſtris Cimbrica terra dedit,
Da veniam, PRINCEPS, tacitisque ignoſce Camenis:
Non poteras verſu nobiliore cani.

In

In
Domum ductionem
Principis Fœminæ,
ELISABETHÆ ab ENDE,
Theologo Summo,
D. ELIÆ SIGISMUNDO
REINHARTO
&c. &c.
noviter nuptæ.

A. E. C. cIↄ Iↄc LXIIX. XV. Kal. Aug.

CAſta venis igitur jam magni Præſulis uxor,
Nec Svevus rapidâ, nec tenet Albis, aquâ?
Læta veni, tectumque lubens ingreſſa mariti,
Ad nova te poſthac regna, beata, para.
Major eras reliquis formâ & virtute puellis,
Quas tenuit gremio Marchia culta ſuo:
Nec tibi vel blando certaverit ulla decore
Naiadum, dulci quas Sprea fonte lavat.
Mulſa loqui viſa es, & ſparſa papavere verba,
Cum placuit gratos ore referre ſonos:
Cum terrere minis famulas, Junoniæ pigris
Fulmina, ſed docto miſta vibrare joco:
Cum molles tractare colos, anteire Minervæ,
Artificique magis volvere penſa manu.
Atque aliquis, dotes animi venturaque cernens
Præmia, præſago dixerat ore vale:

Teque aliis lepidam ſervari oſtenderat oris,
Nectere nec patrio vincula poſſe ſolo.
Maxima ſic cunctis cum famâ & moribus eſſes,
Et non æquandâ virginitate potens:
Imperio nunc major eris, dexterrima, herili,
Ad regimen tanto nempe vocata viro.
Utque ille ingenio præit pulcherrimus omnes,
Sic tu ſolertes arte præibis heras.
Nec te Penelope vincet probitate fideque,
Nec virtute prior Hectoris uxor erit.
Cumque feret ſummos ſibi Proteſilaus honores,
In ſexu excelles Laodamia tuo.
Tu modô ſcande ratem, clavumq; capeſſe jugalem:
Non meliùs Paphie rexerit ipſa ſuum.
Jamque loco cedit, noſtrasque, ait, accipe habenas,
Servabit nutûs aliger ipſe datos:
Et, qui te primâ trepidantem nocte videbat,
Fortiter urgentem vela videbit Hymen.
Triſtior & zonâ licet ambulet ille ſolutâ,
Non tamen ad juſſam deſinet ire ratem.
Lentabit remos cupidè gens cætera Amorum,
Quos conchæ cernis remigio eſſe meæ.
Sin curru juvat ire, ambas tibi jungo columbas,
Et cygnos jubeo ſubdere colla jugo.
Nec Riſus aberunt comites, nec Gratia triplex:
Pipilat ad dominam paſſer & ipſe novam.
At tibi ſponte ſuos ſummittit Lipſia faſces,
Et matronalis dictitat Alpha chori,

Depo-

Depoſito gavila novo, ſimilique priori,
Totque inter nullam repperit alma parem.
Utque una inſtructas gradientem cernit ad ædes,
Has ſimplex caſto fundit ab ore preces,
Amſancto vicina Lari, foribusq; propinqua,
Maxima nec matrum, nec minimum illa decus:
Meta rei tantæ, finisq; optate malorum,
Nunc alio dici nomine paſſe, veni:
Et, viduo moderata toro, Reinhardia nobis
Dein audi, & noſtri duxque caputque gregis:
Nec, ſi non veteris ſubeunt oblivia regni,
Obſequium dubita poſſe placere novum.
Pulchrum eſt & ſuperaſſe nurûs: nec gloria nuptæ,
Quàm tedæ experti, ſorte parata minor.
Cynthia eris, vincesq; ignes Dictynna minores,
Et ſuberunt flammis ſidera cuncta tuis.
Utque incedentem facilis te turba ſequemur,
Sic promptæ thalamum ſtabimus ante ſacrum,
Nixia cum duplici donabit munere cultum,
Inque tua hæc largus gaudia Bacchus erit.

NATALIS VIRI

Antiqua virtute & fide,

Civis optimi, Senatoris prudentiſſimi,

DN. ADRIANI STEGERI,

Anno LXV. ætatis vitâ functi, atque ipſo natali die XIIX. Kal. Jul. in ſepulcro conditi,

celebratus.

A. E. cIↄ Iↄc L.

ERgò opportunæ ruperunt ſtamina Parcæ,
 Stamina lanificâ jam bene ducta colo!
Ergò ſatur vitæ, & mortalia cuncta peroſus
 Fatalem claudis cum Simeone diem,
Sancte ſenex, venerande ſenex, vinclisq; ſolutus
 Corporis auguſtum mittis ad aſtra ducem;
Anxia quod dudum mens volvit, ſeu vaga noctem
 Cynthia, ſeu lumen ſparſit Apollo ſuum!
Ergò dies eadem, peritura munera vitæ
 Quæ dedit, in molli membra reponit humo:
Teque fatigatum placidæ indulgere quieti
 Nunc jubet, atque altâ ſub ſcrobe pace frui.
Publica poſtquam Urbi juviſti commoda noſtræ
 Conſilio pariter officioque bonus:
Ornaſtiq; gravi ſpacium pietate ſenectæ,
 Summis atque imis gratus in urbe viris.
Lux bona! lux niveo Thetidos ſignanda lapillo,
 Quæ vitâ inſignis quæ tumuloq; tuo eſt!

Quæ

Quæque in ſe rediens ſua per veſtigia naſci
Te docet infractum nobiliore ſatu.
Non Plato, non Macedo, non Attalus ipſe, nec orbis
Delitiæ Auguſtus, nec gravis ordo virûm,
Una quibus vitam indulſit, quibus una ſepulcrum
Lux, atque aggeſto condidit oſſa ſolo,
Pulchrius ingentes animas ſummittere letho,
Aut condi ex ſangves in ſua buſta velint.
Scilicet hoc demum ſe naſci ſancta putavit
Natio, de Chriſti nomine dicta, die:
Seu lecto poſitis velaret lumina ſomnus,
Seu gravis imbueret corpora torta cruor:
Illa leves umbras & vitæ ſomnia cenſens,
Quæ dare naſcenti tempora prima ſolent,
Plena malo, & variis Fortunæ expoſta periclis,
Factaq; progreſſu deteriora ſuo.
Quæ violens Thracum lacrymis gens ploret obortis,
Interitu infantis lætior uſque dato.
Namq; illi æternæ noctis caligine merſi
Mallent ſe nullum vitæ habuiſſe diem,
Extorres cœlis animæ, miſerabile vulgus,
Struxit ad antra Stygis cui ſua culpa viam,
Hæc ævi tibi prima dies, hæc limina vitæ,
Vera hæc & nullo turbine verſa quies!
Ver ubi perpetuum, & ſenii expers firma juventa,
Et vigor & ſano in corpore forma decens.
Ergò natales jactent Thragelia fauſtos,
Et palmis celebrem Timoleonta canant,

Quæque viri fortes plura erexêre tropæa,
Felici nati ſidere, luce ſua. (fas,
Splendidior multò eſt, quâ mundi caſtra trium-
Cœlorumque ſubis mœnia, palma tibi;
Illo accepta die, quo naſcere, quoque ſepulcro
Exanimum reddis corpus & aſtra petis.
Naſcere, ſancte Senex, cœlo, triſtesq; ſenectæ
Exuvias tumulo conde beate tuo!
Tempus erit, quo te cernemus ritè renatum
Aligeros juvenes fallere fronte, comâ:
Atque agiles tecum læti mirabimur artûs,
Quos lecto affixos torpor habebat iners.
Non ſerpens melius ſenii faſtidia ponat,
Aut aquilæ major ſit vigor ille novus:
Nec magis annoſi medicatis Æſonis herbis
Luxurient poſito membra refecta ſitu:
Pulchrior aut Phœnix fœcunda morte reſurgat,
Oſtendens cunas Solis in urbe ſuas.
Fallor? & in natis tua jam revireſcit imago,
Et probitas vero picta colore nitet:
Nec terris ſeſe ſubducit patria virtus,
Magmento cupiens ulteriore coli.
Quicquid id eſt, Solenne tuum natale celebrat
Et terra, & ſummo turba recepta polo.
Illa quidem abreptum venerans in prole parentem:
Hæc ſancti acceſſu reddita læta ſenis.
At nos nec vinum, nec ſpicæ ungventa Ciliſſæ
Fundimus, & ſparſam quicquid odorat humum:

Sed

Sed Genio meritas libamus carmine laudes,
Supremumque tibi dicimus ore Vale;
Munere quo majus nec Silî Muſa Maroni,
Nec Mecænati ferre quit ipſe Maro.

In Obitum
Puellæ feſtiviſſimæ amabiliſ-ſimæq;
MARGARITHÆ,
MARTINI GEIERI
Theologi
Filiolæ.
ANNO CIↃ IↃC LVI.

TU quoque nunc mœſti minuis ſolatia patris,
Et fato refricas vulnera priſca tuo:
Nec pateris medico coaleſcere livida ſucco,
Altera ſpes vidui, filia chara, tori?
Vivere nec matris ſinis in te blandula vultus,
Quæ modò præreptæ matris ad inſtar eras:
Nec parvo cum fratre domûs diſpendia ſarcis,
Quæ cum fratre domûs unicus ardor eras?
Heu mihi, quanta tuo generi ſublata voluptas
Eſt obitu, laribus gaudia quanta piis!
Jam ridere patri, jam palpo ducere triſtem,
Verbaque jam poteras dimidiata loqui:
Oſculaque aſſiliens in colla & brachia laſſo
Figere, & aſſultu cor relevare tuo:

Ludereq; & blando nutu vocitare catellum,
Delitiisq; aliis exhilarare domum.
At quàm grata piis, quàm læta parentibus iſta?
Tanti illis fulvi non ſit arena Tagi.
Namq; offenſantis vox multo fragmine linguæ
Infragili nobis dulcior eſſe ſolet;
Dulcius & ſi quid cœptum magis atq; affectum
In ſobole eſt, quàm quæ plena & adulta vigent.
Quid? manuum plauſu pietatem oſtendere matris.
Jam patri poteras, cordaq; plena Deo:.
Et geſtu ſimili totam promittere, totam
Exprimere egregio (ſpes erat iſta) ſatu.
Ah quoties imò ſuſpiria pectore duxit,
Et, matrem in te, inquit, filia, cerno tuam!
Ah quoties vivâ gaviſus imagine mortem
Æquius, & matris triſtia fata tulit.
Ah quoties! ſed cuncta necis truculentia turbat,
Et novus antiqvum provocat ecce dolor.
Ille premit, quantumque poteſt labentia fulcit
Pectora, quodque aliis præcipit, ipſe facit:
Non hominem tamen aut animum abjeciſſe pa-
Signaq; mœroris prodere nulla poteſt. (rentis,
Luget, &, hoc quando ſic viſum eſt, inquit, Jovæ
Ad matrem felix tendito, Nata, tuam.
Excipiet cupidis venientem amplexibus illa,
Inter & angelicos noſcet amica choros:
Multaq; patre ſuper rogitans ac fratre tenello
In placido ponet te veneranda ſinu:
Te fratremq; ſimul, quem caſti fautor amoris
Primitias noſtri juſſerat eſſe tori.

Aſt

Aſt ego quod pietas unum præſtare parentem
Nunc ſinit, exequias has tibi ritè paro:
Exuviisq; tuas conjungo ab utroq; relictis,
Et molli terra membra tenella tego:
Ac tumulum facio, tumuloq; hoc imprimo carmen:
Huc ſoboles matrem chara ſecuta ſuam eſt;
In cœlis animæ ſociatæ jungier olim,
Quicquid in his terris charum habuere, vovent.

Supremo Honori
& memoriæ

Ultimi Sermonis
D. ABRAHAM TELLERI,
Lipſiæ ad D. Thomæ Paſtoris.
d. 9. Novemb. 1658.

OMnia cum fuerint tua dicta papavere ſparſa,
Vel potius verbi nectare ſparſa DEI;
Tum nulla è cunctis mage dulcia viſa fuere,
Quàm quæ poſtremus protulit ille dies,
Qui ſtare in cathedra dicentem vidit, & iſta
E. perpeſſitio pandere ſenſa Sene;
Militia eſt hominis Vita hæc terrena, diesq;
Illius eſt, Operæ ceu ſolet eſſe dies.
Ut ſervus feram feſſus deſiderat Umbram,
Finem Opera utque operis ſperat adeſſe ſui:
Sic & ego menſes Vanos heu ſentio multos,
Plurima ſic nox eſt plena labore mihi.

Ordia ſermoni præmiſſa huic illa fuere,
Quæ canit in pſalmo Rex pius ille ſuo:
Inſignis nobis Vita Excellentia noſtra
Cum Viſa eſt, Viſa eſt heu labor atque dolor.
Magna eſt Theulogicæ vitæ Excellentia. Sed quid
Theulogica hæc vita eſt? Eſt labor atque dolor.
Eſt labor atque dolor Conſulti juris & æqui:
Philoſophi & Medici quid? labor atque dolor.
Sique hujus reliqua eſt alia Excellentia vitæ,
Eſt labor atque dolor, eſt dolor atque labor.
Hinc ad Militiam monſtrandam ſcilicet ibas,
Oſtendens pugnis omnia plena ſuis,
Nunquam & bella piis, nunquam certamina deêſſe,
Et quo cum certent ſemper habere bonos:
Ac ſi vel Mundus, vel Tartarus ipſe quieſcat
Sat tamen in proprio Militiæ eſſe ſinu.
Hoc ſub felle tamen dicebas mella latere,
Solamenque piis grande ſubeſſe triplex.
Neve quis hæc fruſtrà vel longè, Apis Attica, forſan
Quæreret, hoc placuit digerere illa modo:
Hæc ſi militia eſt, & nos pugnare *neceſſe* eſt,
Quod mutare nequis cur renuiſſe velis?
Hæc ſi militia eſt, quam cunctos ferre neceſſe eſt,
Cur quod *Commune* eſt ſolus abeſſe cupis?
Hæc ſi militia eſt, quæ tot Suſpiria gignit,
Utile quod nobis, cur grave dicis onus?

Et

Et quanquam cœcas ſolentur ſingula gentes,
Solari hæc alio nos tamen ipſa modo:
Nempe, quod imponit DEUS, & quo corripit omnes
Quos amat, & mentem ducit ad alta, feras.
Miles es? excipient te poſt hæc bella triumfi,
Inter & angelicos læta tropæa choros.
Servus es, & duro premeris longoque labore?
Jam veniet requies umbraque grata tibi.
Menſes & noctes vanas plenasque labore.
Sentis? æternus corriget iſta dies.
Fallor an hæc habita eſt non nobis Concio ſolis;
Sed vel præcipuè, Doctor amate, Tibi:
Et poſt militiam, poſt hujus triſtia vitæ
Optaſti, requies eſſet & umbra tibi.
Hoc namque egregio claudebas omnia voto:
Pulchra, moras differ, pulchra corona veni.
Euge venit, caniturque Tibi: Bone ſerve, fideliſque
Ingredere in Domini gaudia plena tui:
Gaudia militiâ triſtique carentia lite:
Gaudia, feſſo Umbram quæ requiemq; dabunt.
At nos pro meritis gratamur gaudia tantis,
Et grates memori dicimus ore tibi,
Qui nos doctrinâ, qui vitâ rite præiſti,
Militiam ignaros, miles & ipſe, docens.
Nec nos Militiæ capient oblivia doctæ,
Militia ex illa dum DEUS ipſe vocet,
Nosq; tibi in cœlo jungat, quos jungere in Orbe
Et ſocios voluit Militiæ eſſe tuæ.

CHARIS TUMULATA.

In funere

DANIELIS HEINRICI,

SS. Theologiæ Doct. & P. P.

&c.&c.

nomine

COLLEGII CHARITATIS

XII. Kal. Apr. AN. M. DC. LXVI.

JAm Charitum numerus Muſarum & Apollinis ultra
Creverat, & ſolito pulchriùs auctus erat.
Namque ubi tres tantùm cognôrat cana Vetuſtas,
Noſtra ætas ſuprà viſa tuliſſe decem.
Viderat hunc Janus, veterem cùm conderet añum:
Viderat, averſo cùm daret ore novum.
Incolumis fuerat, nec ahenâ lege ſolutus
Parcarum, aut triſti conditione minor.
Gaudebant labia & cantu Charitum ora ſonabant,
Et fore ſpondebant omnia firma ſibi.
Sola ægrè numerum Clotho rabioſa ferebat,
Pectoreque irato talia dicta dabat:
Quid miſeræ æternos vobis promittitis annos?
Pendent è noſtro vellera veſtra colo.
Nec bona vos Charitum tutantur nomina, vel lex,
Aut non ficta fides relligioque juvant.
Sunt bona ſubjecta & ſunt peſſima nomina nobis:
Sub pede Relligio Lexq; Fidesq; jacent.

Ac neque magnificis optata reſervat Hygéa:
Magnificas penetrant ſpicula noſtra domos.
Fruſtra & bis binas jactatis ſæpè ſorores:
Bis binæ è veſtro ſæpè obiere choro.
Nil faciles auctus, nil incrementa moramur;
Decreſcunt noſtrâ, quæ prius aucta, manu.
Præſentum abſentû memores cur noſtra poteſtas
Vos latet, & fragiles vis fugit iſta deas?
Credite, quo bibitis, larva eſt argentea crater,
Et ſignant facilem Vitra duo illa necem:
Quæque ex Unius pendent inſignia collo,
Fatales dudum præcinuêre dies:
Nunc ſumenda alii, nunc deponenda viciſſim
Propria nullius vixq; diurna manent.
Ite ergo, atque hilares venturo opponite letho
Pectora: Vel digitus vos ruet iſte meus.
Sic ait, & digito fatalia ſtamina rumpit
Unius, extemplò ſcilicet illa cadit:
Non annis reliquis, ſed famâ & nomine major,
Et rebus tantùm dedita diva ſacris.
Paſithean placidæ quondam dixere ſorores,
Et fati expertem cunctæ habuere deam.
Nunc tumulamꝰ humo, & ſignamus carmine ſaxû:
HIC. SITA. PARCARUM. LEGE. PEREM-
TA CHARIS.
At tu, qui tranſis, caſum lacrymare Viator,
Et tecum hos tacito pectore volve modos:
Si tollit Charites nec opino funere Clotho,
Mortalis dubites te quoq; poſſe mori?

AMI-

AMICITIÆ SACRUM.

Ad Amicum

Meritiſſimi de Academica juventute

Anteceſſoris,

AMADEI ECKOLTI,

JCti

Obitum lugentem.

IIX. KAL. DECEMBR.

A. E. C. cIↃ IↃc LXIIX.

Viſſe diu felix tam charo & dives amico,
Jam tibi dimidium pectoris hujus abeſt:
Jam legis in dulcem miſerabile carmen Achatem,
Nec, comitem ſimilem qui tibi præſtet, habes.
Conditur antiquâ virtute fideq; ſodalis,
Et fugit ex oculis gratia priſca tuis:
Rara illa, & noſtro vix veſtigabilis ævo,
Ultima quod ferri ſcoria vexat iners,
Nec revocant medicæ, tentatæ ſæpiùs, artes:
Vanus Pergameus Pœoniusq; labor.
Ire ſimul cernis Charitum, mœſtiſſime, trigam,
Et quicquid firmo glutine corda ligat,
Compoſitos mores, & neſcia pectora rixæ,
Verbaque Sithoniâ candidiora nive:
Quæ primum junxêre duos, junctosque per omnes
Servârunt, fati quos dedit aura, dies.

Donec

Donec enim licuit, nec te illi charior alter,
Nec tibi totâ illo junctior urbe fuit.
Diſſimiles ſtudiis, ſed vitâ & moribus æqui:
Oebalios quales fœdere junxit Amor.
Ille potens legum, morbi tu ſolvere nodos:
Quanquam uni infelix huic medicator ades.
Namq; ubi ſe fragiles morbus ſinuârat in artus,
Et tibi non tardâ ſumta medela manu:
Nec citiùs validas Epidaurius attulit herbas,
In vitam Hippolytus cum revocandus erat.
Proficeres: atræ turbent niſi pharmaca Parcæ,
Staminaque incidat de tribus una ſoror.
Quid memorem pronas in publica commoda mentes,
Et geminas firmâ cum ratione vias,
Conſilio quoties Muſarum ſacra juvanda,
Et citò prolapſæ dextra ferenda rei?
Germanos bello dixes veniſſe Latino,
Mutuaque in Perſeñ arma tuliſſe ducem.
Et quisquam leges auſit tibi ferre dolendi,
Acceptoq; gravi vulnere flere vetet.
Aſperior ſcopulis, verique ignarus amoris
Ille ſit, & ferri ſemina durus alat.
Taurica (ſic fama eſt) ſociali percita queſtu
Facta pharetratæ mitior ara deæ:
Ipſe & lugentem miſeratus Theſea Pluto eſt,
Pirithoum raperet cum vigil ira canis.
Flere juvet, flendoque gravem exſaturaſſe dolorem:
Crudele, hîc lacrymis ponere velle modum.

Nec

Nec ſolum te mœror habet, ſolumq; fatigat
Erepti tanti cura inimica boni;
Aut luctus viduas intrà ſe continet ædes,
Et morſu atroci conjugis exta vorat:
Quanquam hîc præcipuè regnet, nolitq; pudica
Extincto eſſe ſuper Laodamia viro.
Agglomerant lamenta Patres in funere tanto,
Et juvenum expendit jam ſua damna chorus:
Illi mobilibus mirati Neſtora in annis,
Hic cultu agnoſcens fervidiore ſenem.
Nec tum talis erat: curæ fecere Themiſtos,
Et pro te exhauſtus, gens ſtudioſa, vigor.
Aggemit, atque acri ſubſervit Patria planctu,
Et luctu ſimili triſtia fata dolet:
Vixq; ait hæc noſtris jactura explebitur oris,
Sufficiet magno nec Themis ipſa malo.
Atq; aliquis veſtros jamdudum expertus amores,
Divelli junctos quàm grave, dicit, erit,
Quàm nocuum exemplo! Jam ſe Diſcordia rebus
Implicat, arma manu ſanguinolenta gerens,
Et fugiens iterum terras Aſtræa relictam
Miratur, bini quam coluere, Fidem.
Græcia ſic Pyladæ raptum ploravit Oreſten,
Sic Niſum Euryalo Troja caſtra ſuo;
Et par æternis Latii memorabile faſtis
Dixere, ac dignum poſteritate legi.
At mihi celſior hæc ſtimulet præcordia virtus,
Et ſimile Andino Mantua laudet opus,
Nulla tui ut verſu ſit mentio nominis iſto,
Et ſolus ſtudii te tibi prodat agon,

Effici-

Efficiam, doƈto ſeſe ipſum carmine vates.
Vincat, & Hyrtacidæ fama ſit illa minor:
Et tribus aut quatuor paribus, par nobile, quintũ
Te ſocient numero ſecla futura novo.

In Obitum
BARTHOLOMÆI BERBIGII
Scholæ Lauchenſis per Annos XLI.
Reƈtoris meritiſſimi.

Luſtra oƈto atq; unũ Ludi moderaris habenas
BERBIGI, & pueros prima elementa doces.
Hei mihi, quanta Tibi toleranda fuere tot annos,
Quam vario tandem pulvere merſus obis.
Annum unum docuiſſe aliis faſtidia gignit,
Aut, ſi longa tenet quos mora, forte duos.
Tum Parochos fieri, & pingves quæſiſſe cathedras
Auri ſacra fames & labor ille jubet.
Namq; quid expeƈtent niſi duros uſq; labores
Mercedisq́; parum quos ſcholica antra tenent?
Dumq; alii ex aliis ſibi ſumunt ſceptra Magiſtri,
Et tener heu multâ grex novitate perit:
Tu premis officium atq; operi illi ſedulus inſtas,
Sicq́; una infraƈtus in ſtatione manes.
Siſyphus hoc volvat ſaxum totq; urgeat annos,
Optabit veteres ad ſua damna molas.
Malet & Alcides ſtabulum purgare, vel aprum
Tollere, quàm mores, turba proterva, tuos.
Intraƈtabilior quando quàm beſtia, pubes:
Peƈtoraq; Augiæ ſordidiora luto.

Perſun-

Perfunctum eſt: Mercesq; tibi jam ſplendida cœlo:
Quæ nulla in mundo aut rara, repoſta datur.
Nam poſtquam extremo nunc horrent omnia fer- (ro,
Ludorum inſcribi poſtibus illa queunt,
Quæ pia Becmanni Durfeldo Muſa canebat,
Serviret cantu cum tibi, PORTA, ſuo:
Gratia rara, labor certus, cum pulvere pædor
Præmia ſunt hujus certa Magiſterii.

In
D. SAMUELIS LANGII
Homilias, Artem moriendi & ſigna
Mortis exhibentes

QVæ data ſunt Vitæ, data quæ ſunt verba Saluti,
Mortis in his quis Te quærere Signa jubet,
Facundo LANGI ore potens Svadæque medulla,
Nil mortale animo nil calamoque gerens?
Triſtis an ut fragili Sophatei Vatis in olla
Mors latet, atque cibum trux Colocynthis habet?
Hyblæas an quæ volucres thyma dulcia paſcunt,
Corſica neſcio quæ ſunt thyma facta citò?
Et, qui Pæſtanis Veneris flos naſcitur hortis,
Virus ſugenti præbet araneolo?
An nulla hîc peſtis, morsque iſthæc nomen inane eſt,
Occultum & retegunt ſigna reperta bonum?

Qua-

Qualia in Iſacidum,torva cruce picta,micabant
Frontibus, & vitam ſymbola certa dabant.
Nempè ut ferali diram illa afferre figurâ
Viſa necem,diram ſed pepulere necem:
Sic tua, quæ primâ nos terrent fronte,beatis
Ad cœli pandunt limina ſigna viam.
Utq; hederæ ad Bacchi pallentes munera ducunt;
Arcere & curas pectora mœſta jubent:
Pallida ſiderei ſic nos ad Nectaris hauſtus
Ambroſiæque dapes hæc tua Signa ferunt.
Nec, velut invidiæ virtutibus æmula cenſet
Virgula,transverſum quæ bona quæq; notat,
Ingenio ſeſe dederunt invita ſagaci,
Aut merſa in tenebris delituere diu:
Sponte ſua menti ſeſe ingeſſere volenti,
Ut flamma indicio proditur ipſa ſuo.
Namque ad cœleſtis mortales gaudia Vitæ
Qui vocat,hoc voluit nos priùs ire gradu:
Hincque adeò in Verbo ſubeundi inſignia Lethi,
Quoque minus credas,ſparſit ubique ſacro;
Et ſive æternos promittit in æthere Soles,
Seu nigra intentat Tartara, Morte facit.
Fors etiam haut parvam PEGAVIA flebilis anſam,
Hoſtili in cineres igne redacta, dedit,
Et mortis potius,quàm vitæ quærere juſſit
Signa, mera Urbs caſu Mortis imago ſuo:
Civis ut has lugens, & jam ſatur orbe,ruinas
Maturè hac monitus diſceret arte mori.

Ac,

Ac, niſi me fallit ſententia, publica lucem
 Dum Philura in noſtra nunc tua Signa vident,
Diſcere idem rebus duris vis atque ſecundis,
 Commiſſa eſt fidei quæ modò turba tuæ,
Nosque adeò cunctos, fragili non fidere vitæ
 Quos exempla ſuæ quotidiana monent.
Quicquid id eſt, grato ſanctum reputaſſe laborem
 Nos, quibus ille datur, pectore & ore decet;
Neſtoreosque annos & vitæ læta precari.
 Hæc quando ad Vitam nos quoque Signa trahunt.

VATICINIUM
De Rege, ut vocant, Sagittariorum, publico tumultuario programmate occultatum, & honori
Ampliſſimi ac Conſultiſſimi Viri
JOH. JACOBI PANZERI, in Wehlitz Hæreditarii & Quæſturæ Lipſienſis Præfecti,
Solutum.
A. 1560. d. XXII. Jun.

PROGRAMMA
Ad doctrinæ Poëticæ Auditores.
die 17. Junii.

MEns erat, in medio Titan ubi craſtinus axe
 Verteret, ad Satyras, Flacce, redire tuas,

Et,

Et, quæ Tireſiæ ſuperant præcepta, referre,
Ac diteſcendi tradere ritè modos.
Nunc urbs tota fremit, celebrandiq; ardet amore
Quæ parat in pratis ludicra feſta ſuis.
Stat malus, tenues & ſeſe extendit in auras,
Ac pictam oſtentat, quam tenet altus, avem.
Qualis in Anchiſæ quondam dependet honorem
Fortè, atque egregia provocat arte viros;
Dum pius Æneas celeri certare ſagitta,
Et data victorem præmia ferre, jubet.
Allicit hæc cives, hæc Phœbi invitat alumnos;
Hæc juvenum cœtus evocat atq; ſenum.
Quàm metuò, ne, quæ nunquam ſubſellia vidi,
Diſcentum videam nunc vacua eſſe grege;
Noſtraque, vel Flacci potius, vox aëra pulſet
Incaſſum, aut mures terreat ac lemures;
Solus & in vaſta linquar dictator arena,
Nec ſint, qui calamis illa vel illa notent.
Quid faciam? in vacuo plauſor ſedeamne theatro?
Officii an linquam credita penſa mihi? (illud,
Nollem hoc: ſed quoniam nec ſum cogendus ad
Temporibus morem me gerere hiſce decet.
Ergò agite his aliquot ceſſent ſtudia iſta diebus,
Serviat & Triviæ noſter Apollo Deæ.
Forſan & hæc aliquid poterunt ſpectacla monere,
Doctior & preſſo Muſa redibit agro.
Æneadum nec enim digno deſcriberet orſu,
Vidiſſet ſimilem ni Maro celſus, avem.
Vos quoq; certantes dum nervo aptare ſagittam
Cernitis, & crenis indere tela ſuis;

Hinc

Hinc aliquid, rebus quod ſit quondam utile veſtris,
Diſcite, & in memori condite viſa ſinu.
Non ſemper feriet quodcunque minabitur arcus,
Effugietque ictus pulſa frequenter avis.
Tunc aliquis veſtrûm, ſic me ſpes vana fefellit
Sæpius, & fallax, dicat, inersque fuit,
Omnia cum facerem. Vel cum ferit, alter ab arte
Qui minus, Eurytion quàm bonus ille, valet:
Lumine ſic placido Fortuna tuetur inertes,
Ingeminet, caſu ſic juvat eſſe probum.
Sive ingens chorda tenſus malè rumpitur arcus:
Rumpitur interdum ſic quoque noſtra chelys,
Eſtque aliquid, nimio mentem non frangere niſu,
Et modica feſſum poſſe quiete frui.
Præmia quin etiam ſtimulum data fortibus addent,
Et data ſocordi ſus lutulenta, metum.
Dumque putas aliquem fore primo ex ordine Regem
(Sic luſit toties ſors vaga) tinctor erit.
At tu, ſi dubiis in rebus vota ciere
Fas, mecum digno tanta precare viro.

PRO-

PROGRAMMATIS EVOLUTIO.

FAS, MECUM DIGNO TANTA PRECARE VIRO.

Per Anagramma.

PANTSER ARCU REGIO VINCET: DO FAMAM.

VAtem egi nuper : dignumq; optare viderer
Cum regem tantùm, Rex mihi notus erat.
Ne dubites, noſtri cerne ultima carminis, & me
Dic hoc implicitis occuluiſſe modis.
Regius hîc animus PANTSERI lucet & arcus,
Do famam verſu, dat ſibi ut ipſe, meo.
Illius utq; omnis, virtutibus excita, ſic hæc,
Carmina quam dederunt noſtra perennis erit.

ELEGIA

In

DESIDIAM.

Qvum poſt Caniculares ferias Epiſtolam ſecundam Horatii auſpicaturus eſſet

XI. Auguſti A.C. cIɔ Iɔc LXI.

DEſidia ergo vale. Vitanda es improba Seiren,
Ne pereat ſcopulis Perſica noſtra tuis.
Illa ſuum rurſus ſibi Flaccum vendicat, & Te
Extra anni ire vias cum Cane, ſcæva, jubet.

Ito mala,& caſtis ſpatium concede Camenis,
Tempora nec tardâ noſtra morare fugâ.
Scire cupis, docto quid tempus fallere Flacco
Nos juvet? Ingenium dedocet ille tuum:
Atque ætate uti monet ac labentibus annis,
Mœonii exemplo carminis atque fide.
Vel lege,quæ Magni ſignata eſt litera Lolli
Nomine,terga fugæ ſponte vel ipſa dabis.
Armeniam peteret cum Cajus, Lollius ivit
Hic juveni longæ duxq; comesque viæ:
Et præcepta dedit, menti volvenda feroci,
Inventa in ſcriptis, grandis Homere,tuis,
Et vati contracta,& dulci oſtenſa ſodali
Seu per Odyſſeam, ſive per Iliada.
Pelleris hic omnis, Margite nata parente,
Inter & Heroas umbra vagaris iners.
Tecum Sauromatas ultra plebs ire jubetur,
Publica quæ turbat privaque,mentis inops:
Invidia,Ira,Dolus,Mora ſegnis,avara Voluptas,
Seditio,Rabies, Luxurieſq; fera: (ſtrat,
Pallas in exemplis quam Teja & Homerica mon-
Chryſippo melius Crantoreq; apta docens,
Sic Paris elapſus pugnâ deſevit adulter,
Dum gravis Antenor reddere rapta jubet,
Sic fruſtra lites Neſtor componere tentat,
Iræ utrumque agitat dum furor,hunc & Amor.
Sic intra Iliacos muros peccatur & extra,
Pergama dum bello Græcia lenta premit.
At catus exemplar ſolidæ virtutis Ulyſſes
Et facienda docet, & fugienda monet:

Dumq;

Dumq́; per ambages generoſo incenſus honeſto
Te fugit, & mores diſcere mille parat;
Non juga Cyclopum, non fluctus æquoris horret:
Stant circà in caſſum monſtra, animûq́; ſtupent.
Ipſa nitens Circe es, medicataq; pocula miſces,
Inq; canes vertis, Deſidia, inq; ſues.
Ante alias blandâ Sirenum voce notaris,
Peſſima, & heu ſimili decipis arte viros.
Namque velut ſvavi proles Acheloia cantu
Detinet à patriis Martia corda focis:
Sic animos falſâ captos dulcedine ludis,
Cumq; decet curſu tendere ad alta, tenes.
Tu nos Penelopes ſponſos facis, Alcinoosq́;
Et curare cutem bella Magiſtra doces.
In medios dormire dies tu cogis, & atras
Ad citharam curas cedere vana putas.
At tu cede prior Gyaris & carcere digna:
Si neſcis, abitûs jam tibi dicta dies.
Namque ubi cras Horæ pars illa advenerit, ibis:
Poſterior decima eſt undecimaq; prior.
Si ceſſas, validâ vi deportabere Flacco:
In ſella judex cras ſedet ille ſua:
Et modò latronum præ te, turpiſſima, noctes
Laudat, & ægroti pectora anhela gregis:
Cum ſegni confert modò te ſtolidoq́; colono,
Totus, qui expectat, dum vagus amnis eat.
Nuncq́; opus eſſe canit, dum labitur ille, labore,
Fingendos animos nunc ſine fine rudes.
At malè cunctatur ſi quis, molliſſima, tecum,
Hunc ſerò vitæ damna dolere ſuæ;

Et velle infectum, quod vel mens læva vel ira
Svaſerit, aut ſtimulis cæca libido furens.
Nempe velut tenerâ docilem cervice magiſter
Fingit eqvum, rectè diſcat ut ire viam:
Cervinam aut pellem latrandam præbet in aula,
Acer ut in ſylvis detonet ore, cani:
Imbuit aut teſtam cata fœmina fictilis ollæ
Aurâ Arabum, ut ſimili fragret odore diu:
Sic te maturè fugere & melioribus uti
Annis, ingenio ſic potiore jubet.
Ergò vale, atque urbis fines excedere juſſa
Non prius, æquor amet quàm fera dama, redi.

Ad AUDITORES Ariſtotelici Libelli de Politicâ.

d. 3. Jun. A. MDCLXI.

FEſtinis octava dies nunc labitur horis,
Affixa huic tabulæ cum ſcheda noſtra fuit.
Atque Stagiritæ Vos invitavit ad artem
Luce ſecuturâ Martis adeſſe jubens.
Fortè quòd illa prior venienti ſacra Dynaſtæ,
Idaliæq; Deæ ſacra Hymeniq; fuit.
Dicta dies aderat, paſſim per compita rauco
Taurorum pulſu tergora tenta ſonant.
Atq; avidè cuncti JANI ſpectare GEORGI
Expectant patriæ mitia volta Patris
Rurſus cum Dacis Hymeneia feſta petentis,
Contigerat, Philure, qui tibi rarus honos.
Aſſum

Aſſum ego, ſcanſurus cathedram, & dictare paratus
Si quid ad obſcuros utile fortè locos.
Sed qui me audiret, qui commentanda notaret
(Funere ut in tenui eſt) unus & alter erat.
Venerit in mentem mihi quid tum, ſcire quis optat? * *Mart.X,60.*
In mentem venit, Bilbilitane, * tuus,
Jura trium petiit qui à Principe diſcipulorum,
Aſſuetus ſemper Munna docere duos.
Jamque eadem verſabam animo: cum tertius illis
Adderet,& Charites tres ſociando daret.
Sed quibus, ob numerum turbatum inventaque pulchra
Prælecta (ignoſcant) lectio nulla fuit.
Ergò abii,& culpæ es,dixi,reus ipſe Magiſter,
Juſtitium meruit nam bonus ille dies.
Fors & ad alveolos facturæ mella redibunt
Quas gravis avertit iſte tumultus, apes.
Quæ ne me fallat ſpes, ô lectiſſima Phœbi
Corcula, ad has operas quæſo redite meas.
Cras ubi ad undecimam gnomon ſe verterit horã,
Et medium ſcindet jam propè Apollo diem,
Non thyma lecturi,genuit quæ Corſica tellus,
Sed quæ plena ſuis procreat Hybla favis.
Buchleros, Schmidios, Smetiosque & quicquid ubique
Autorum eſt, unus vincit Ariſtoteles.
Cernitis ut noſtrâ rurſus Pax regnat in Urbe
Utque favent Muſis otia grata ſacris.

Ergò ſequor, Voſq; hæc ad Saturnalia rurſus
Convoco: nec frugi non erit ille labor.
Namq; velut triſtes convivas mattya mulcent,
Et pellunt rabidam fercula miſſa famem.
Sic & delectant & proſunt munera noſtra,
Munera vel potiùs, Bilbilitane, tua,
Utque epulæ, ſaturant avidam ad ſublimia mentem,
Et variâ ſaturam cognitione juvant.
Quoque minus plenos eſcarum ſiſtimus orbes,
Hoc ad ſiſtendos major orexis adeſt.
Nemo hircum metuat: Locus eſt & pluribus umbris,
Et capiunt totos ſigmata noſtra greges.
Centum & viginti ſeptem inter fercula nec tu,
Ne ſit, quod ſapiat non tibi fortè, time.
Vina, feras, piſces, volucres, embammata, panes,
Poma, nuces, animal triſte cicurq; damus.
Elige quod placeat. Placuit coqvus ipſe Monarchis:
Me facilem cernes Cheironomonta Tibi.

E L E G I A

Qvum

Ad carminis Elegiaci virtutes cognoſcendas in Aretologia ſua Poëtica Studioſam Juventutem invitaret.

M. Jan. M DC LXVII.

FInieram Heroi virtutem oſtendere verſus,
Et legem, altiſonum quâ benè currat Epos:

Quam ſibi materiem poſcat, quâ ſplendeat arte,
Ornari numero quo velit atq; pede.
Jamque ad diverſi properabam carminis orſum,
Conabarq; elegos edocuiſſe leves:
Cum mihi ſe triſti per ſomnum Elegeia vultu
Offert, & pectus territat omne metu,
Pallida, odoratos nec, ut olim, nexa capillos,
Sed fœda, & turpi pulvere ſparſa comas.
Atra tegit corpus Tyria pro ſindone palla,
Pro myrtoq; manum lenta cupreſſus habet:
In facie macies, tenuatæ in pectore vires,
Atq; alter greſſu pes, puto, claudus erat.
Sordida nec tantum poterat vel mœſta videri,
Mitis ad exequias qualis adire ſolet;
Iram etiam vultu præ ſe ſtomachumq; ferebat,
Imbelli quatiens funerea arma manu.
Ac, velut ereptos indignaretur honores,
Et ſibi præpoſitum forte doleret Epos,
Phemonoës, inquit, ſobolem quid tollis ad aſtra,
Et minor eſt, vates, nunc tibi cura mei,
Quàm fuerat docto Peligni ruris alumno,
Quærenti tacitè, quale moveret opus,
Et nos præcipua ponenti in ſede, cothurnos
Objiceret quamvis Muſa Tragœda ſuos?
Et me Phœbus amat, nec comtam Pythia ſpernit,
Truncatum haut recto ſubjicere auſa pedem,
Quum generi humano auctores cœleſtis amoris
Per felix Chariton & Melanippus erant.
Præſtant Mœonio Mimnermi carmina vati
Sæpè, & Virgilio tu quoq;, Coë, præis.

Nec,

Nec, ſi materiam nobis Mars abnuit arma,
Blanda pharetratus denegat arma puer.
Callimachi numeros acer detrectat Achilles?
Cydippe metuit ſplendida, Homere, tuos.
Hiſtorias ego condo breves, nec carmine molli
Ulla per ambages facta referre juvat.
Sæpe tamen ponto terraq; agitatus Ulyſſes,
Sæpe eſt in verbis Ilias ipſa meis.
Nec me Virtutum variarum deſerit agmen,
Et comes ad numeros blanda Erycina venit,
Aſperitas agreſtis abeſt,& Martius horror,
Et caſta æquali verba tenore fluunt:
Quodque aliis vitium eſt, non æquis paſſibus ire,
Ornat,& in laudes dicitur eſſe meas.
Obſequio placeo, & fortunam poſcor ad omnem,
Apta piis lacrymis,nec minus apta jocis:
Utque faces orno ſperataq; gaudia amantum,
Sic facili afflictis vulnera tergo manu:
Ad furias quoque prompta graves diraſque canendas,
Cum læſa infauſtas exigit ira preces.
Clauſa modis noſtris ſacrorum oracula vatum:
Et mea ſunt illis nunc quoque clauſa modis:
Irrita nec nobis Parcarum ſtamina current,
Injiciet lentas ſeu tibi pulmo moras,
Seu melior ſurget poſt triſtia nubila Phœbus,
Et quatiet celeres pronuba Juno faces.
Dixerat. At ſerò noctis me deſerit horror,
Inq; minis dictis incipit eſſe fides.

Tuſſio, facundi quantum non pulmo Catulli,
Cum legeret vacuum Sextius arte librum:
Et, ſive officium facio, haut intelligor ulli,
Sive inſto, erumpens inficit ora cruor.
Detineor, ſacris nec vocem commodo veſtris,
Muſæ: non Helicon, non mihi Cyrrha placet:
Nec juvat ingenuæ legem monſtrare juventæ,
Alternum deceat quâ poſuiſſe pedem.
Una quies cunctis potior morbum expulit herbis,
Una, ſed hinc partes aufer, Apollo, tuas,
Et mihi me charique Heliconis reddidit antris,
Et cœptis ſegnes juſſit abeſſe moras.
Abſuerant: calamusque celer jam cuncta notârat,
Utilia inceptæ quæ fore viſa rei:
Rumpit Amor telam, meque ad connubia natæ,
Et celeranda brevi feſta Hymeneia rapit.
Impedior rurſum, & portas fugientia eburnas,
Viſa modò, ex vero ſomnia pondus habent.
Quid loquor? Ulta meos poſtquam eſt Elegeia
Paulatim cœpit lenior eſſe mihi: (mores,
Atque alio toties ſeſe obtulit aurea vultu,
Nec Lyricæ ſimilis, nec tibi, Jambe minax.
Nuncque adeò, dum plura ſequi ſe carmina cernit,
Conſultò reliquis incipit eſſe prior.
Vos, quibus eſt animus divæ cognoſcere formas,
Virtutumque placet dulce notare decus,
Huc agite, & dictis cras aurem advertite noſtris:
Efficiam, dotes omnibus illa probet.
Nec mendax fuero vel hiante Aretalogus ore,
Per me virtutes dum canit illa ſuas,

Invi-

Invitatio
Ad
Virgilii Pollionem,
Sive
Genethliacon Salonini: Poſtquam
Lætiſſimus Nuncius
De
PRINCIPE SAXONIÆ
RECENS NATO,
Electoralis domûs novo fulcro,
allatus eſſet.

8. Kal. Nov. A. E. C. cIↃ IↃc LXIIX.

POſt varios caſûs, poſt mille negotia, & ipſam
Quæ pedibus nectit vincula lenta, luem,
Mens erat ad doctas Flacci remeare Camenas,
Dictaque felici pergere cœpta manu.
Et jam ſumta mihi, laudes quæ concinit, Ode,*
Cynthie flave, tuas, pulchra Diana, tuas,
Dicereque alternis pueros teneraſque puellas
Nunc Tempe & Delon, nunc nemorum alta jubet.
Inprimis pietas vel cœca in gente placebat,
Et, quæ arcent peſtem, bella, famemque, preces,
Dignæ illæ & noſtris, Juvenum flos inclyte, curis,
Si vera ex animo cum ratione fluunt,

* *Lib. I. Carm. Od. XXI.*

Mœnia cum velox agitatis tranſvolat alis,
Et lætus tota Rumor in urbe ſonat,
Enixam partum Regum de ſanguine Matrem,
Et partum enixam, fulcra futura, marem.
Hoc populum, hoc charos optaſſe utrinque Parentes,
Dania ſive tenet, Miſnia ſive tenet.
Flacce vale, dixi: paulò majora docenda,
Et mihi materiam nunc Maro celſe dabis.
Namque ut te longè eſt, Latona, puerpera major,
Andini citharam ſic grave vincit epos.
Caſta favet Lucina, & noſtris aurea terris
Incipiunt largo currere ſecla Tago:
Nec minus Heroas Divis eſt cernere miſtos,
Et patrium in nato non juvenile decus:
Dum nova Saxonibus cœlo demittitur alto
Progenies, gemino regnat Apollo choro.
At tibi, Magne puer, munuſcula fundit, ut illi,
Seque per ætates Terra benigna probat.
Quôque magis creſcis, quò plures colligis annos,
Hoc magis ingenium colligit illa vetus:
Et, ferri poſitâ ſub Avis rubigine, pleno
Te duce læta refert priſca metalla ſinu.
Nec migrant ſolitos mitiſſima numina mores,
Penſa colo ſtabili currere lege jubent.
At ſceleris ſi quæ remanent veſtigia noſtri,
Irrita mox ſolvent limina preſſa metu.
Aſpice in infantem jam nutat pondere mundus,
Atlantes quamvis ſentiat ille ſuos:

Quæ-

Quæque redit quondam non uno Principe Virgo,
Æterno tecum geſtit amore frui.
Nec vates deerit, ſi nondum hæc ſecla tulere,
Orphea qui vincat carmine, quique Linum.
Viſa olim Latio nova ſeſe proferet ætas,
Et tibi Virgilium vel tua terra dabit.
Tu Matrem intereà, Tu Patrem agnoſcere riſu
Ingentes & Avos incipe & hinc Avias.
Connubio ſimili quæ te ſibi copulet olim,
Jam dea jam thalami fœdera caſta parat.
At tu, quæ mecum jam mollia tempora ſentis,
Et partu gaudes, Gens ſtudioſa, novo:
Huc age Sicelides animo ſimul exige Muſas,
Atque Salonino carmina dicta Duci,
Lux ubi quinta Jovis medio ſe limite ſiſtet,
Undecima & ſtudiis præſtò erit hora meis.
Invenies illas non parva in imagine cunas,
Et ferri optantum tramite vota pari;
Quâve queas inſtar ratione effingere, diſces,
Non humilis ſi te Nixia tale velit.
Ad Flacci Pæana labor poſt illa redibit,
Et conſanguineis verba dicata diis.
Sin juvat illa ſequi, nato pro Principe noſtro
Huc transfer caſtas, aſt alio ore, preces:
Et, grave Martis opus, peſtemque, famemque benignè
Avertat terris Numen ut hiſce, roga.

Poſt abſolutam Virgilianæ eclogæ IV. explicationem.
ſub finem Anni MDC LXIIX.

AT tibi, MAGNE PUER, pietas ne ſordeat iſta,
Proque Tuo nobis ſumtus honore labor.
Linea non lecta eſt divini Carminis ulla,
Quin memores nati juſſerit eſſe Tui.
Sive Sibyllino redierunt ſecula cantu,
Secla eadem noſtro viſa redire ſolo.
Seu fudit tellus diverſo munera cultu,
Noſtra eadem tellus fundere viſa fuit.
Tempora ſeu fuſos juſſerunt currere Parcæ,
Currite, dixerunt, huic quoque longa Duci.
Seu ſpe præcepta eſt nutanti deſtina mundo,
Dictus es imperio deſtina firma ſacro.
Orphea ſeu ſtuduit certando vincere Vates,
Vatem aliquis ſtuduit vincere laude pari.
Jamque per ætates Te ducit noſtra Thalia,
Jam riſu ingentem noſcere cernit Avum.
Jam legere & quæ ſit Patris cognoſcere virtus,
Fortia Majorum jam monumenta ſequi.
Nec menſâ Genius, nec abeſt Juno aurea lecto,
Optant Te Generum regia ſceptra ſuum.
Et, qui Saxonicâ maneant de gente Nepotes,
Quæ Regum proles ſanguine, cenſet Amor.
Ille Tuis hederas ſpargens & lilia cunis
Hibernaſque, pares quas dedit ipſa, roſas.
Ipſa favet natura annis & ſidera, cœlo
Queis natum in terras ducere cura fuit.

Quæ-

Quæque modo Tyrio Te conſpexere ſub oſtro.
Et genua à dulci pondere avita premi:
In trabeâ cernent fulgentiaque arma tenentem
Et bellatori ſubdere calcar equo.
Ito per ætates magnum Patris incrementum,
Demiſſum à celſo nobile nomen Avo.
Atque utriusque lubens poſt ſecula frena capeſſe,
Aut Utroque tene cum Seniore Senex.
Erravit veſtris aries dudum aureus arvis,
Et niveo traxit pollice fila ſoror.
Dudum alacres reliquæ ſcripſere adamante beatos
Quos dictant longos mitia Fata, dies.
At nobis erit ille ſacer, quo naſceris orbi,
Et Tibi devotis annua feſta dabit.
Nec Phœbi melior, vel luce putabitur illâ
Quâ tenero felix Ida tonante fuit.

Apud

AUDITORES

excuſat intermiſſionem Lectionum Horatianarum.

D. XXIIX. Jun. An. CIↃ IↃC LXIX.

COmpede me rurſus ſtrinxit rabioſa podagra,
Nec claudum ad Muſas me ſinit ire meas.
Namq; domo talem lux Saturni ire videbat,
Ire domum curru rurſus at illa videt.
Ignoſce abſenti, numeroſi quisquis Horati
Expendis mecum carmina & acre melos.
Sique putas iterum me curru poſſe venire,
Da veniam faſſo: mutuus ille fuit.

Cum

Cum pedibus quibus eſt res haud rariſſima, Vates
Non curru, pedibus ſed decet ire ſuis.
Ibolubens, ſimul illa pedem placata reſolvet,
Et me vel Scazon ad ſacra noſtra feram.
Namq; animo valeo quantum non Stoicus inter
Tormina, vel tauro, ſæve Tyranne, tuo.
Ne nihil interea proſint Tibi Vatis Horati
Carmina, cur *juſtam* dixerit ille * puta.
Juſta ſit innocuos hominum quæ lancinat artus,
Et miſerum ante alios vexat iniqua pedem?
Juſta ſit, officio quæ fungi ritè volentem
Affigit lecto, membraq; toſta gravat?
Juſta ſit, auditu ſpoliat quæ peſſima veſtro?
O nil juſtitiæ peſtis acerba tenens!

* *Sermon. L. II. Sat. 7. v.* 18.

Ad

SAMUELEM SEELINGIUM
Paſtorem Eccl. Plonenſis, cum ipſius Filius Joh. Chriſtophorus Magiſter Philoſophiæ crearetur.
Anno MDCLVII.

QVî calamum teneant tam longa ſilentia noſtrum
Miraris dubio, Vir Reverende, procul.
Deſine, nulla tui cepere oblivia mentem,
Rem volui potius, quàm data verba, loqui.

Omne

O me felicem poſt tot diſcrimina rerum
Poſt mea, poſt nati triſtia fata mei,
Quæ tulimus, verſâ cum relligione Bohemis
Ex agris miſeros juſſerat ire furor;
Poſt & formando in Nato ſtudia atque labores
Belli inter ſtrepitus & media arma meos;
Si ſenium ingreſſus jam Natum audire Magiſtrum
Cognoſcam, & niſus præmia ferre ſui!
Hæc voti tum ſumma tui fuit, utque juvarem
Ipſe ego te afflictum Nati in honore patrem.
Juvi quà potui, nec nos fortuna Deusq;
Deſtituit, voti factus uterq; reus.
Jam que magiſtrali ſplendet tibi mactus honore
Filius, & ſummâ præmia laude capit.
Quid poſſum hîc aliud, Bone, quam bona dicere verba,
Gratari & Nati fata ſecunda tui?
Quod ſupereſt jubeo benè te ſperare parentem,
Proſpiciet nato porrò Jehova tuo.
Sicque reget Sophiæ jam celſa ad culmina vectum,
Quo dein contendit Theilogiæ in ſtudio,
Ut capiat tandem ſperatum Eccleſia fructum,
Et baculo ſenium fulciat ille tuum.
Vive, vale, nec humo ſi fors emergere paucos
Cernis, quos vexat invida pauperies,
Nullos poſſe puta. Deus ipſe è ſtercore preſſos
Erigit, atque loco principe ſæpè locat.

ODA-

ODARION

ad

Studioſam Juventutem

Quum

Poëſin Lyricam & Horatii libros Carminum auſpicaretur.

A. E. C. CIϽ IϽC LXVII.

Menſe Majo.

ODi ſupini corporis otia,
Favete linguis. Carmina non priùs
Prælecta Muſarum ſacerdos
Auſpicio meliore tento.
Nódoſa nondum, credite, me lues
Conſumſit omnem : ſtatq; animo vigor,
Qualem ante ter denos peractos
Stare juventa videbat annos.
Jamque ad priores, nec ſtudio levi
Muſas revertor, tendere barbiton
Quâ, Flacce, monſtraturus, arte
Quâ citharam ſoleas ferire :
Seu Muſa Divos, ſeu pueros lyrâ
Mandat Deorum dicere, ſeu graves
Cantare palmas, ſeu calentum
Vina jubet juvenum referre.
Res apta veſtris, ſi libeat ſequi,
Devota Muſis pectora, commodis,
Sive inſolenti vos juvabit
Ludere, ſeu facili Camenâ,

Non

Non ſemper orſus Mœonii decent
Vatem futurum, non tuba Martia:
Non claudicantem quæ jocoſa
Ludere viſa pedem Poëtæ.
Vertiſſe carmen plus vice ſimplici
Fas, & levi nunc ludere arundine,
Nunc tibiâ prævifa mente
Æoliaq; chely ſonare.
Huc ergo mentes huc age vertite
Aureſque, plectro queis placet æmulo
Vatis Calabri ſe Camenis
Threiciâque lyrâ probare.
Præcepta primum: Splendida dein mihi
Exempla mens eſt ponere, & à gravi
Transire Mæcenate ad ipſa
Secula Romulidumq; carmen.
Quæ ſi vel uno tu facilis tuo
Æques, nec auro, nec Pariâ trabe,
Nec melle permutare Hymetti
Divitiisve velis Iberi. *
At tu nefandis quæ cruciatibus
Hæc ſacra turbas, quæ latitas pede,
Et juſſa clam migrare dudum
Uſque moras ſcelerata nectis,

* Scaliger in Hypercritico de Odis Horatia- nis: *Inter cæteras duas animadverti, quibus ne ambroſiam quidem aut nectar dulciora putem. Quarum ſimiles malim compoſuiſſe, quàm eſſe totius Tarraconenſis Rex.*

Ex-

Excede, nec te Sol videat priùs
Noſtris morari ſedibus aut domo,
Quàm ſepties æſtate pulſâ
Pleias orta hyemem reducat.
Unà ire tecum juſſimus otia,
Riſusque acerbos blandaque ſcommata,
Et quicquid atroces dolores
Exagitat joculare noſtros.
Quod ſi feroces antè redibitis,
Quàm dicta vobis tempora poſtulent;
Si clam remigrandi palamve
Exulibus ſteterit voluntas,
Quâ nos Apollo quâve Novenſilum
Inſtruxit olim turba potentiâ,
Quo jure vexatus potentem
Terruit Archilochus Lycamben,
Ex urbe pulſos, ex Academiâ
Exeſſe planè nempe jubebimus,
Inviſa doctorum catervis
Peſtis, & ira gravis Sororum.

Oda

Oda
ad
JOHANN. CHRISTOPH. SCHMIDIUM,
cum Philoſophiæ Magiſter crearetur.
Anno MDCLIII.

NE ſit ancillæ tibi amor pudori
Neu ſacri blandæ ſophies honores.
Hæc Patrum quondam niveo decore
Movit orexin.
Movit auguſtum Monicæ parentis
Pignus, & civem celebris Tagaſtæ:
Arſit & Graius pater & venuſto
Aureus ore.
Barbaræ poſtquam cecidere turmæ
Literis ſqvallens & ademtus horror,
Tradidit pubi leviora diſci
Sacra Philippus.
Neſcias an te generum beati
Daphnidis noſtræ decorent parentes.
Regio certè genere atq; avitâ
Stirpe refulget.
Crede non illam tibi de Japheti
Plebe delectam: neque ſic pudicam
Sic malo averſam potuiſſe naſci
Gente pudendâ.

Bra-

Brachia (*a*) & vultum (*b*) fabricæque pectus
Neſcium (*c*) laudo. Fuge ſuſpicari
Caſta ſi ſanctæ trepidant puellæ
Claudere terga.

(*a*) *Logicam*, quæ χειρ᾽ τῆς φιλοσο-φίας. (gnoſcit.
(*b*) *Philoſophiam theoreticam*, quæ res co-
(*c*) *Practicam*, quæ honeſtatem docet.

In
DAVIDIS BENEDICTI CARPZOVII
Honores Magiſteriales
ANNO MDCLVI.
collatos.

QVo me, Chare, rapis tui
Plenum? Quæ maria, aut quos agis in
Fluctus remigio ſine? (novos
Jam præco egregii nominis audio,
Indeptum meditans decus
Faſtis inſerere hoc carminis alite,
Dicam inſigne, recens meis
Indictum numeris:* Non ſecus in ſuis
Frondator ſtupet hortulis
Ramos proſpiciens pondere pendulos,
Et fructus cupidis notat
Maturos oculis, ut mihi nobiles
Dotes verticis & decus
Mirari libet. O ingenio potens

* *Senec. epiſt.* 34.

Et

Et captu ſtimulantibus
Ad majora agilem vertere ſpiritum.
Nil parvum aut humili modo
Nil mortale petis. Dulce periculum eſt
Poſt hæc ſacra ſequi viros
Cincturos meritum mox caput infulâ.

In funere RAHELIS, HADRIANI STEGERI Senatoris Lipſienſis Conjugis

Anno MDCLX.

STEGERE, primâ note puertiâ,
Magnoque ſemper note animo mihi,
Quæ tanta vis luctus dolentem
Mente quatit ſolita repente?
Quis mutat angor? Flebilibus modis
Cur pectus urges? Cur neque veſpero
Surgente deſiſtis querendo,
Nec rapidum fugiente Solem?
Non ſi moventem flumina Ariona,
Ipſumque vincas Orphea, carmine,
Qui dictus eſt lenire tigres,
Eurydicen retrahas amatam.
Nec illa charum, detur ut optio,
Sequi maritum vellet, & improbas
Mutare dulci valle terras
Elyſiisq; plagis reverti.

Com-

Compeſce fletum, Teq; tibi parem
Oſtende rurſus. Sic placitum Deo,
Qui, quæ bonus donavit olim
Munera, mox metuendus aufert.
Patrem ille fingit, qui data liberis
Surrepſe quondam non ſine lachrymis
Conſvevit, & ſurrepta mœſtis
Reſtituiſſe manu benignâ.
Utq; ipſum amaræ fata crucis prius
Subire Natum & triſtia tartara
Juſſit, ſepulchro quàm reductum
Sedibus æthereis locavit.
Sic ante denſâ nocte premit ſuos,
Quàm luce luſtret cœlicâ, & infimis
Educat è terræ cavernis
Corpora ſplendidiore pompâ.
Perfuncta fidæ munere conjugis,
Duræ nec expers ſortis & aſperæ
Enavigatas poſt Charybdes
Orbis & inſidias maligni,
Tibi illa vivit: jamque per æthera
Soluta vinclis corporis interim
Expectat amplexus ſuorum,
Ante aliosque tuum gementis.
Dum tota cœlo reddita gaudeat
Charo marito atque oſcula dividat
Proli receptæ ſeq; nexu
Conſociet meliore tecum.
Non longa ſanctis ſcilicet hæc mora
Breviq; noſtrûm lux feret ultima

Ad

Ad læta cœli quemque tempe
Et capiti ſua membra junget.
Vis & relictam cernere imaginem?
Matri gemellam filiolam vide
Decore formæ moribusque
Et pietate parem ſepultæ.
Hac lætus atras dum licet interim
Solare curas, adque animum redi
Priſcum illum & acrem, quem Catonis
Nempe parem Deus ipſe finxit.

In
Obitum
FRIDER. LEIBNUZII P. P.

Anno M DC XXXII.

QVid cœlum precibus lacis
Juſtam inter chiragram miſer,
Et ramalia diruta
Annoſæ malè fagi?
Quid Hetruſcus eques velut
Vitam mortuus expetis
Pactionibus improbis?
Debilem facito manu,
Debilem pede, coxâ,
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes;
Vita dum ſupereſt benè eſt,
Hanc mihi, vel acutam,
Si das, ſuſtineo crucem.
Turpis hæc malè ſartæ

P Mendi-

Mendicatio vitæ eſt,
Et Jani medio foro
Nundinatio nequior.
Nam quid vivere noſtrum?
Quid vel Neſtoris ævum,
Et longiſſima manſio?
Torqueri diu & emori.
LEIBNUZI tibi nunc benè eſt
Æternum Sophiæ decus,
Fracto mille doloribus,
Voti cui caput hoc fuit,
Et jugis querimonia:
Debilem facis, heu! manu,
Debilem pede, coxâ,
Tophos adſtruis & novos,
Lubricos quatis artus.
Vita dum ſupereſt malè eſt.
Hanc aufer DEUS; alteram
Si das, dulce mihi mori.

In
JOHANNIS BENEDICTI
CARPZOVII P. P.
& Eccleſiaſtæ
Diſputationem pro Licentiâ
De Vaccâ Ruffâ
ANNO MDC LXIIX.

CArpzovii Manes, Superûm jam ſede recepti,
Seu vos Euſebie, ſeu Themis alma fovet,

Huc

Huc faciles conferte oculos,(quando æthere in ipſo
Cura rei humanæ Manibus eſſe ſolet)
Et deſiderio langventi ignoſcite noſtro:
Incipiunt levius damna priora gemi:
Atque aliquis ſurgit veſtris ex oſſibus ultor,
Utraque qui validâ vindicet illa manu.
Jamque illum dibaphus tegit & ſuccurrere rebus
Eunomie,antiquo robore fulta,videt.
Hunc ſacer ad ſimiles ſurgentem cernit honores,
Et geminæ cathedræ ſurrogat ordo virûm.
Reſpicite atque æqui miſcete hæc gaudia veſtris,
Quando hîc in terris nos quoq; veſtra juvant.
Tuque adeò tu magne Pater complectere natum
Deſuper, & ſimilem cerne,beate,tui.
Nam quid in humana notum ſapientia & arte,
Quidve in divinis tum tibi rebus erat,
Quod non omne illi notum quoque Perſica fecit,
Et mentis penetrans invia quæque vigor?
Fulmina vibrabas,rapida & Demoſthenis arma?
Eloquio è roſtris Tullius ille tonat.
Pendebat docto tibi ſacra juventus ab ore?
Confertam plauſu non leviore docet.
Ebrææ te gentis amor ſtudiumque tenebat?
Totius hoc animo clauſæ Orientis opes.
Vel quæ ruffa typum morituri vacca gerebat
Numinis,exemplum quàm tibi grande rei,
Quam grande ingenii! Quod vel Buxtorfia tecum
Svada, vel ipſe queat tollere pulſus Eos.

Hæc defenſa ſimul veteres monſtrabit agonas,
Atque hunc implexos ſolvere poſſe logos,
Ipſe velut poteras, ſeu gens ſcelerata Scotini
Nectat, ſeu ſacro vertice raſa cohors.
Hæcque ubi cognoris, tua nos plorata per orbem
Mirari modicè deſine fata queri.
At me ægrotantem non tortor Calculus angat,
Liber & ærumnis ſpiritus aſtra petat:
Efficerem, totum deductum cernere natum,
Atque ea in effigie te quoq; poſſe putes.

Pietas

Pietas in funere Matris.

MEMORIÆ. ET. PIETATI.
MATRI.
BENE. MERENTI. CHARISSIMÆ.
REGINÆ. LIPPOLDIÆ.
VIRI. OPTIMI. ET. SCIENTIA. MEDICA. USUQ. RERUM. PRÆSTANTISSIMI.
HENRICI. RAPPOLDI.
VALLE-JOACHIMICI.
PHARMACOPOEI. ET. PRÆTORIS. DE. EGREGIO. PUBLICO. NON. VULGARITER. MERITI.
PER. TRIGINTA. ANNOS. UXORI.
PER. VIGINTI. QVINQVE. VIDUÆ.
INCENDIIS. BELLIS. RAPINIS.
AFFLICTISSIMÆ.
OCTOGESIMUM. CUM. ATTIGISSET. ANNUM. IN. CHRISTO. SERVATORE. SUO.
LIPSIÆ.
QVO. A. cIɔ Iɔc XLIV. TANQVAM. IN. PORTUM. SE. RECEPERAT.
PRID. KAL. APRIL. A. cIɔ Iɔc LXIII.
PLACIDE. DEFUNCTÆ,

ET. IBIDEM.

NON. APRIL. CONTUMULATÆ.

EXCISO.

ARCTOI. MARTIS. TRUCULENTIA.

QVOD. PEGAVIÆ.

MARITO. OPTIMO. LIBERIS. SIBI.

ADORNARAT. CONDITORIO.

QVUM. AUREUM AUT. MARMOREUM. NON. POSSET. CHARTACEUM.

HOC. PIUM TAMEN. MONUMENTUM. EREXIT.

EX. NOVEM. LIBERIS. SOLUS. SUPERSTES. FILIUS. MOESTISSIMUS.

FRIDERICUS RAPPOLT.

IN. ACAD. LIPSIENSI.

PROF PUBL.

REDDERE. NON. POTUIT.

PIETAS. ÆQVALIA. NATI.

QVÆ. COELO. EST. REDDAT. MATER.

EA. ERGO. TIBI.

VENUS

VENUS MYRTEA.

Sponſis novellis

JOHANNI STRAUCHIO, JCTO.

&

ELISABETHÆ SCHMUCKIÆ,

nomine

Collegii Gelliani

oblata.

ANNO MDCXLV.

M*Yrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus!*
Laurus exſit! Sacra myrto cingitote tempora,
Lympha puriore rivo Caſtalis quos irrigat.
Marspiter faceſſat atrox! Mitis hic ovat dea,
Quam Cupido, quam Jocorum natio circumvolat,
Nulla Tydidis protervi ſentientem vulnera.
Tuq; Cleio ſolve nubem flebilis ſupercili,
Et procax myrtis melodas nuptiales concine.
Illa myrtetum frequentat, illa proximat Viro,
Enitens velut decoris Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryas liquore roſcido uſque nutriit.
Myrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus!
Ecce fumat ara Matris! Ecce laſcivum genus
Expetit puella ſertis impediri myrteis:
Jamque flores purpurantes aſſis omnes unius,

Uniusque dictat hili, læta myrti germine.
Ipſe Cypripor ſagittas, ipſe flammas abjicit,
Atque cum myrtis videri cumque granatis cupit,
Multo quam prius pharetrâ multo jam ferocior.
Vellet hac pendere, credo, ludicro ſpectamine
Rurſus, & poſt terga vinctus matrib9 pœnas dare.
Cæculum cavete pupæ! Myrtus haſtis commoda.
Myrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus!
Ditiorum laurus ædes ambiat virguncula,
Vel procera quercus alto differat cacumine;
Myrtus hæc veſtit, pede alto transeunda limina,
Fallor, an triplex Dearum triga linquit montium
Vertices, & ad novata currit huc Ellotia,
Simpliciq; cincta myrto læta plauſus duplicat,
Læta tinnulum jugatis carmen ore concinit.
Conjugator ipſe amoris pineas jam non quatit:
Myrteo ſuperbit igne, flammeoq; myrteo,
Optet & nuces videri, ſi potiſſit, myrteas.
Myrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus!
Tibiarum dulce murmur, dulce jam ſonet chelys,
Setiger ſuſſultet arcus, imminente Veſpero:
Juncta Nymphis, juncta ternis Cypris alma Gratiis
Implicat molles choreas libera vertigine:
Dum repoſtis parte in illâ plusq; ſimplici vice
Myrteum referre ramum fortis Evan imperat,
Pampiniſque obtecta myrtus nota fallit orgia.
Bacche vitium repertor, Bacche lenis influe,
Lenis entheata ficto tange thyrſo pectora.
Evohe clamamus ultrò! Libero myrtus calet,

Myrte

Myrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus!
Jamq; denſâ opacat umbrâ lucus ambo myrteus,
Quale texit antrum Eliſam, qualis Iliam ſpecus,
Et reclivis fronde carmen ludit Hymen improbũ:
Tange myrte, tange divam, lætiorq; proveni,
Uber ad poſtes Quirini ſicut alternis ſoles.
Huc palumbis huc tenellis ferte frondes unguibꝰ,
Ut potiſſint tutò ab atris luſitare viperis,
Aut fatiſcentes corollas ſomniare myrteas.
Nulla nunc BONÆ parantur, ſola pulvinar premit
Nunc Dione, myrteasq; pæta virgas expetit.
Myrte ſalve, Myrte major laureatis faſcibus.

HYMENÆUS,
Nuptiis
DAVIDIS LINDNERI J.U.D.
cum
Ornatiſſimâ Virgine
ANNA MARIA SCHILTERIA,
D.XVII. Kal. Sept. An. MDC LIX.
Lipſiæ celebrandis
dictus.

P*Ange LINDNERI beatas pãge Muſa nuptias.*
Vota LINDNERO beatꝰ Annus exhibet ſua.
Et beata nectit arctè ter beatus vincula.
Nympha par decore priſcis, par vetuſto ſanguine,

Fronte nemini ſecunda, neminique moribus
Ecce Cajo Caja nubit, ecce jam fert oſcula,
Et faces probat jugales improbatas antèa,
Ecce mitibus volenti Noctis aura roribus
Spirat, & ferociores ponit Æſtas impetus,
Jam propinqua temperatis jam ſubacta noctibus.
Uva jam matura vitem purpuræ certans gravat,
Denſus & ſororiantem pampinus vix ſuſtinet:
Parturit merum racemus, Bacchicoque torcular
Vinitor parat labori, lætus Auctumno die.
Mala jam legit puella, mala ſomniat puer,
Nec legit formoſa tantum, ſed jacit laſcivior,
Cana, non acerba guſtu, non, ut antè, immitia.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Phœbus hanc vidiſſet olim, Phœbus Admeti in jugis,
Arborem Peneja nullam corpore impleſſet ſuo,
Nulla Lauream dediſſet ſplendidis Curulibus,
Evius viſam bimater hanc relictâ Gnoſſide
Ponè Theſeum cubile deperiſſet anxiè.
Ipſè pennas, ipſe vellus rector huic & cornua,
Ipſe ſumſiſſet figuram factus imber auream,
Ipſe lanas atque mollem cœlifer crocotulam.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Ille jam cœpti laboris, ille longinquæ moræ,
Et peregrinorum amorum purpuræq; nobilis,
Cultor inclutæ Themiſtos, Romulâ ſuadâ potens,
Helladosque doctus artes, exitum optatum videt,
Anxiaque de juventa triſte ponit tædium.

Ille

Ille curſus, ille tutâ flectit aurâ carbaſa.
Ille nuper vectus alto vertit in portum ratem,
Et latenter intrat oras fortis Aphrodiſias
Amnis ut Piſæ tumentis ſubter occultas vias
Labitur, dum cœcus, actâ proditus Trinacriâ,
Siſtit, & flumen pavente miſcet ardens flumine,
Oſculumque deprehenſâ dulce libat Naide.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias!
Omnis evocata cœlo numinum fervet cohors,
Omnis ad parata tendit nuptiarum gaudia,
Et minus ſuppoſtus axi pondus Atlas ſuſtinet,
Thymbra Phœbum, Niſa Bacchum, grata Junonem Samos,
Uſta Cyclopum officina Lemnium deſiderat.
Alma mater è Cytheris, éque Parnaſſi jugis
Ter trium cohors ſororum læta feſtinat ſacrum,
Et novenâ quaſſat ignem conjugalem lampade.
Quaſſat & caſtus decentum Gratiarum ternio:
Quæque fontes, quæque montes, quæque ſylvas incolunt
Lampadem quaſſant puellæ, quaſſat ipſe Cypripor,
Ignis ipſe quaſſat ignem verſiformis Cypripor.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Lampas ipſa mutat ortum, pineiq; nil olet,
Nil olet prioris Idæ, tota nominis decus
Tota vendicat mariti, tota nunc Philyria eſt
Et Philyrias corollas numinum vertex gerit,
Proque Lauru fronde Apollo cernitur Philyria:
Et Philyrias venuſta ſparſiones plebs amat,

Fiſtulas peroſa molles atque odoras marchinas,
Nec crocum aut perambulare gaudet amplius roſas.
Pange LINDNERI beatas arte pange nuptias.
Plectra Pæan arte pulſat, arte ſeculo favens
Poſteros recenſet ortus, arte Nymfarum chorus
Saltat, arte virginales Diva lectos inſtruit,
Et futuræ caſtra pugnæ ponit arte Cypria:
Grata Juno delicatæ nectit arte retia.
Solus arte nulla Amorum grex promiſcuus torum
Subſilit circà verendum, nudus arte & corpore,
Parmulaque nudus omni, nudus omni cingulo.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Tempus appetit jugandis & volucris it dies,
Aſtricæ micant Choreæ, clauſtra pandunt januæ,
Ipſa jam Mater rubentem virginem ducit manu,
Ipſa molliter ſupinat, ſic monente Veſpero,
Sic novo nuente Sponſo, ſemis omnem lectulo:
Ad nemus ripæ virentis, ad fluenta Tibridos
Languido victam ſopore ceu ſupinat Iliam,
Ipſa vel charo marito ſe ſupinat Ilia.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Ridet Hymen, & ſolutos interim miſcet jocos,
Liberique nunc parentis dexterâ thyrſum quatit,
Bella nunc movet cruenta, Palladiſque prælia
Fingit, atque intorquet haſtam, remque crudelis rapit.
Sæva nunc deponit arma, ſupplicatq; induciis,

Ad

Ad philyriumq; ramum rurſus aptat ægida,
Pacis autor & duelli, victor & victus ſimul,
Ipſe Liber, ipſe Pallas, hoſtis ipſe & ſubjugis,
Et pater patratus ipſe, fœcialis ipſemet.
Pange LINDNERI beatas pange Muſa nuptias.
Non quieſcit ille factis. Vertit & laſſus vicem,
Martiisque fractus armis Pacis artes involat.
Jamque literator audax alta in umbra ſe rei
Bella poſt bellata geſtæ conditorem venditat,
Et Corinthum ludit exul principesque literas,
Bracteisque Noctis acta ſcribit in philyriis:
Mille parmâ ſcribit albâ mille mille baſia,
Mille prælianda porrò mille ſcribit prælia:
Quanta non Vulcanus ipſe ſcribit in ſcuto ſuo,
Quanta non geſſit tremendus in ſuo Tyrinthius,
Publicanda poſt peractos Cynthiæ curſus novem,
Conditos poſt ritè faſtos, mille ſcribit abdita.

VER GENIALE.

Nuptiis

Excellentiſſimi Viri,

VALENTINI ALBERTI

PROF. PUBL.

ET

MARIÆ PREIBISIÆ,

florentiſſimæ Virginis,

poſtridie

QVASIMODOGENITI

inſtitutis,

COLLEGII GELLIANI

nomine

SACRUM.

ANNO MDCLXV.

PArturit Natura rerum,laxat & Tellus ſinum,
Vere naſcimur reducto,Ver renatus Orbis eſt.
Dulcis orbe cum renato naſcitur PREIBISIA.
Ipſe naſci ſe fatetur Virbius PREIBISIÆ.
Fallor illa an eſt Adonis,illa Adonidi an Venus?
Vere ſe refert Adonis, ima dum percenſuit;
Vere ſe renatam Adoni ſiſtit obviam Venus,
Præter & ſuum trientem,præter & tuum, puer,
Sola ſervatura, partem vendicat Proſerpinæ:
Compotes optati amoris vere nubunt conjuges.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Tota vernanti renata Sylva pubet gramine,

Tota

Tota ſe ſucco recepto veſtit ardua in comas,
Tota ſe pandit procanti fronde, ramis, Ætheri,
Et novo placere geſtit fructuoſa munere,
Nuda non placere geſtit caſtior Cupidine:
Nec placere ſtrage multâ, vel cruentâ indagine.
Geſtit arcum, rete, caſſes feriari Deliæ.
Sylva natalem celebrat, cede ſylvâ Delia,
Flammeo ſe ſylva velat, i Luperce Cypripor.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Ipſa nunc gelu ſoluta rurſus Unda naſcitur,
Ipſa nutrix alma rerum fauſta ſe reſeminat,
Dum pater ponti profundi, dumque regnator ſali,
Ille Tethyn, hic amando pellicit Neptuniam,
Et novas Triton recurvo pandit ære nuptias.
Obviis occurrit undis Nereò Salacia,
Matris æmulata flammas, ſeq; copulat viro,
Proximosque invitat amnes oſtiis parentibus,
Qualis ardor univerſos Peleo allexit deos.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Cernis, ut canorus ortum prodit alitum chorus,
Et ſuper virente ramo nos amoris admonet
Dulce cum puellâ inire veſticontubernium?
Dira quæ rigente mundo muſſitabat crimina,
Voce nunc loquax apertâ Terei garrit nefas,
Et querens Ityn ſorori ſubter umbra congemit.
Ipſa ſed cruenta ſvavi fata lenit carmine,
Et reſectæ damna linguæ redditæ ſarcit ſono,
Seque teſtatur renatam compari Aphrodiſiæ.
Subſilit per tecta paſſer pipilatq; ad paſſerem
Blandiùs, Catullianam quàm ſolebat Lesbiam.

Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Promta res eſt, Sponſe, naſci, promta naſci denuò,
Euge quos vides amœnos, labra labris conferens,
Oſculare, Sponſe, vultûs. Oſculis renaſcimur,
Pæta quintâ parte mater imbuit quæ nectaris:
Quæ columbulus columbæ, turturi turtur rapit,
Concha conchæ copulata muſteo liquamine.
His renata Troja victos intulit Latio deos:
His viro Laurens puella juncta ſervavit genus;
His pudica de ſacello virgo Romulum dedit,
Feſſa dum reſedit ulvâ, dumq; lota obdormiit.
Unius res illa ſexûs, unius ſecli fuit?
Raptus his urbem Sabinis fecit æternam pudor,
Et novo gentem nepote dedicavit Juliam.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Sponſe quid times recenti? Vere nil recens nimis;
Gaudet & mater vocari, vere quæ renaſcitur.
Spumei vix è profundi ſanguinante purpura
Alma naſcitur Dione, naſcitur mater ſtatim,
Et ſtatim ludens in undis, matris incunabulis,
Mille cingitur venuſtis mille concha Amoribus,
Prima vix ſolutus Æther inſtruit connubia,
Vernus & Tellure laxá rore laſcivit pater,
Ipſa jam madere tota, tota geſtit complui,
Et maritus in volentem manat imber conjugem,
Aureus qualis patentem fluxit in Danaës ſinum.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Mille quid rides Amores, Sponſa, quid conchã deæ?
Ipſa dein conchâ vehenda mille cinctâ Amoribus.
Abdicat ſe diva conchâ, gaudet & curru vehi,

Et

Et Jocus circumvolare matre te prius cupit,
Molliter reciprocatis delinitus æſtibus,
Et rotæ, receptus olim fortè, concham præferens.
Diſce laudari Dione, diſce Cypris altera,
Altera Aphrodite haberi, mater & dici nova,
Prole non minus beanda, quàm beatur altera,
Prole pulchrá, matre dignâ, digna utroq; germine,
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò.
Prole ſe probat marito Terra, Pontus Ætheri,
Prole lapſa inſtaurat Orbis, prole nunc renaſcitur,
Blanda dum vel aura ſulcos, blanda vel gravidat
mare,
Gemmeoq; rore in hortis intumeſcunt arbores,
Et ligata vitis ulmo ſpumat in Venerem recens,
Et pecus per arva latè plena pulchrè cernitur,
Plurima & fœtu ſuperbit antè in oras edito.
Aſſilit matri & reperta preſſat agnus ubera;
Svave bombitant per herbas nata pridē examina,
Et thymo mel conditura prima libant oſcula:
Vitulantur ad quadrigas hinnuli recognitas,
Vitulantibusq; Cajo Caja confert pignora,
Læta nato luſitante, lætior multò viro.
Perge naſci, par renatum, perge naſci denuò. (tuā,
Aule, quid torpes in umbra, nocte quid gaudes
Orbe quid taces renato? Rumpe Sigaleon moras,
Cumq; ſylvis, cumq; ponto, cumq; agris renaſce-
Cumq; conjugum renato lude cognatus pari, (re
Æquior Paphi frutetis, quàm Lyceo Socratis,
Sqonſ9 ut myrto Cytheræ frōde Lauri eſt æquior,
Naſcitur, (quid increpamus?) ipſe Vero Gellius,
Cypri-

Cypriamq; ſponte noctem nocte mutat Atticâ,
Lemmatum jam non peroſus priſtinas argutias.
Ipſe raptis codicillis cuncta jam vafer notat,
Luce ſi patraſſe amantes, nocte ſi quid audiit,
Plena feſtivo lepore, plena amœnitatibus
Pervigil, nec ad lucernas tetricas indormiens,
Cypridi ſcripturus olim nocte commentaria,
Nulla ſcripturus Minervæ nulla commentaria.

TROCHAEUS Internuncius, Nuptiis WILHELMIO-HERINGIANIS,

Ad diem XXV. Aug. A. M DC LXVIII.

Dreſdæ celebrandis, Lipſiâ Dreſdam miſſus.

CUrre paſſibus citatis, curre, pes Trochaice,
Curre per fluenta Moldæ, per ſalebras vallium,
Perque candicantis undas Albis, & Bacchi juga,
Adſitamq; tende ad urbem, SAXO quâ Pater regit,
Quicquid Albis atque Molda, quicquid alluit vagus
Prata per diverſa Elyſter, mite pectus Principis.
Nomen hic profeſſus antè Martiis cohortibus,
Tardiore, quàm ſolebas, ito per pontem gradu:
Perque portas intromiſſus ſanctioris Conſilî

Altiora

Altiora te repente confer ad faſtigia,
Et Wilhelmiana pulta condylo conclavia.
Sique, quid velis, rogabit, eſſe te dices pedem,
Nuptiis vatem futuris ipſe quem popoſcerit,
Nuper huc Cadmi nigellas mitteret cum filias:
Nuptiale ferre votum, ferre præter hoc nihil,
Vate nec quiviſſe cultu debito ornari & modo,
Pythium pedem obſtitiſſe, ſacrum Hygéæ plau-
ſibus,
Quos, Libentinâ fremente, nunc celebrat Lipſia:
Nil modis Maronianis, nil cothurno ac ſyrmati
Cum lyrâ, cum conjugali Cypridos ſandalio,
Nilque mœſtis cum cupreſſis eſſe ſylvis myr-
teis.
Sed nec his diu morare, lente, Sponſi tempora;
Verba rebus occupato confer in compendia,
Et brevi dictâ ſalute tot precare ſavia,
Tot bonas beatitates, fauſtitates tot bonas,
Quot vagus ſeptem ad triones pontus haleces
creat,
Filiâ thynni jugandas. Utque non ceſſat datis
Ille conſumtisq; plures indies progignere,
Indies noſtros in uſûs alveus fœcundior:
Nulla ſic Ate proterva nulla rumpat oſcula,
Nulla limet res ocello Sors iniqua proſperas.
Affatim, precare, ſemper oſculorum ſuppetat,
Affatim rei ſecundæ, ſortis affatim bonæ:
Parca nec ferox amores, ulla nec vis terminet.
Hæc precate terga verte, nec teneri te ſine,

Ipſe

Ipſe ſi tenere fortè blandior Sponſus velit,
Aut paratis intereſſe nuptiarum ferculis.
Sordidum cauſare tegmen,atque ſqvalorem viæ,
Hoſpitum haut videndus ulli, deque ſcalis deſili.
Aut retractus inde menſas deprecare ſobrias,
Teque,cum fervent Lyæo ſicca jam non atria,
Fas nefasque cum nec ullis finibus diſcernitur,
Lata quà via ad Senatûs feſta fert cœnacula,
Ire,pollicere,velle, nuptialibus domum
Involucra præſtiturum deferendis ſportulis.
Curre (ſed, ne juſſa frangas præpeti curſu, cave,
Neve ceſpites,probrumve grande mittenti pares,)
Curre paſſibus citatis, curre,pes Trochaice.

SYN-

SYNCRETISMUS. TRIUMFATUS. *IN* DOCTORATU.

AMPLISSIMORUM. DUUMVIRUM. THEOLOGORUM.

MATTHIÆ ZIMMERMANNI.
EPHORIÆ. MISENENSIS. ET. INGENUÆ. IBID. ECCLES. CATHEDR.
PASTORIS.

ET.

JOH. ADAMI. SCHERZERI,
EBR. LINGUÆ. PROF. PUBL. ET.
THEOL. EXTRAORDINARII.
ET. SUBSTITUTI.

SACER.

COLLEGII. GELLIANI. *NOMINE.*

Anno cIↃ IↃc LXVI.

NAſcitur gregi piorum naſcitur peſtis nova,
Seque fraudulenta ſanctis illatebrat cœtibus,
Orta Noctis atque Averni peſſimo nuper ſatu,
Mitis ore, blanda vultu, tota fuco perlita,

Geſti-

Geſtiens, ſacro revincta Palladis ramo manum,
Mutuo fraterni amoris copulari vinculo.
Impiæ nutrix Sebaſte fortè ni parem tulit
Gentis, & verum Tonantis miſcuit cultum ſuo,
Conditrix biſulcilingua duplicati dogmatis.
Talis haut emerſit Orco ſeculis prioribus,
Plena tabe, plena technis, plena falſimoniis,
Inque formas,inque vultûs plurimos verſatilis.
Junge Uterque junge vires, Creticum extirpa
ſcelus.
Ecce feſſa Marte aperto,longâ & annorum morâ
Artibus priſcis Epæi vertit æmula in fabrum,
Seque mole ſiſtit Urbi priſtinæ ſimillimâ:
Nec profana vult videri,ſacra jactat & Deum,
Perfidosque per Sinonas comit infelix opus,
Ut recepta fortis arma promat & virus latens.
Fallor, an dolos vetuſtos, fabricam & calles,
FABER,
Et Capyn, SCHERZERE, pluris, quàm
Thymœten æſtimas,
Funibus,rotæ trahentum,vinculisque iratior,
Cuſpidisq; haut lævꝰ ictu robur exploras novum.
Junge Uterq; junge vires,Creticum extirpa ſcelꝰ.
Accipit voces Hyæna redditisq; decipit,
Africæ olim ut è ſepulcris ſepta ad ipſa proruit.
Et gregum evocat magiſtros, evocatos & necat,
Audit ex umbone,corpus myſtico in convivio
Non abeſſe? Non abeſſe docta reſpondet dolis.
Gratiâ cunctos potiri, gratiâ largâ DEI?
Scilicet cunctos potiri. Mortuum verè Deum?
Nempe

Nempe mortuum atque paſſum. Fonte luſtratos ſacro
Liberos olim renaſci? Sic; renaſci liberos.
Cuncta dicenti reponit, cuncta reddit æmula,
Abdito ſed cuncta ſenſu, cuncta ſenſu non ſuo.
Junge Uterque junge vires, Creticum extirpa ſcelus.
Si quid iſta præter angit copulanda pectora,
Ludus eſt jocusque monſtro, nuda cerimonia,
Nec ſatis res diſſipando digna contubernio.
Tolle præconum furorem, tolle voces Stentorum,
Pacta jam pax illa nobis, pacta fœderatio.
Una nos fides jugabit, una conſtringet duos,
Una bis ſenum jugavit prima ut illa ſecula:
Symbolo ligemur uno, vinculo uno & teſſera.
Ludus hæc jocusque ſanctis, ipſe, cui nomen Jocus
Indidit, cenſebis alto ſerioque pectore
Docte mi Scherzere, amuſſi docte cenſebis Faber.
Junge Uterque junge vires, Creticum extirpa ſcelus.
Cernis, ut nefanda Gorgon lumen huc exemtile
Torqueat, pioſq; cœcus dente communi notet,
Sola dum domi minurit, luce caſſa, edentula?
Carmen eſt abominandum, turpis incantatio.
Liberos ſi quis ligatos forte dicat dæmone
Antè, quàm lymfâ rigatos luſtricus ſervet dies.
Spuma panis, quo tremendo paſcimur myſterio,
Quove ſe potentis ipſum corpus uniit DEI,
Corpus, infelix quod arbor geſſit affixum cruci.
Crimen haud piis ferendum, ſancta ſi Dei caro,

Una

Una ut eſt,unà colatur,juncta Verbo,gloriâ.
Quale,quæ deaſciato ſupplicavit ſtipiti,
Cœca gens commiſit olim vero aberrans Numine.
Junge Uterque junge vires,Creticum extirpa ſcelus.
Quid morare? Jam venena miſcet atrox Colchica,
Ore jam incautos protervo faſcinat Circe viros.
Inque porcos,inque vulpes,inque mutat ſimias.
Migrat hac infecta labe forma paulatim prior,
Mensque mota priſca Veri deſerit veſtigia.
Tros fuat Rhamnesque nullo deputat diſcrimine,
Omnium ſacris epoptes,allubeſcit omnibus:
Ara ſeu Latii Baalis,menſa ſeu Calvi vocat,
Omnium horarum ſacerdos, Myſta ſectarum omnium,
Hydra denique & Cothurnus, Polypus & Chamæleon:
Omnis huic color decorus,omnis aura beſtiæ.
Junge Uterque junge vires, Creticum extirpa ſcelus.
Larva,quid mulcẽdo terres? ſaviando quid necas?
Mobilis pede ſtans in uno quid minaris altero?
Luſitasne,Empuſa,luſum, quem juventus in ſcrobe?
Ire dejectumq; ſtantes ſaltuatim niteris?
Propriam an ſuſpenſa eundo prodis inconſtantiã?
Quicquid eſt, Crotoniatas in toroſos incidis,
Pelle nõ motura in unctâ, quove ſtant fortes loco.
Ecce robuſtos Milones,ecce ſervantes ſtatum;
Aſſili ludendo nixos, nulla percelles pede,
Nulla,facta bos canisve,territabis ſchemate.
Junge

Junge Uterque junge vires, Creticum extirpa ſcelus.
Pompa quæ repente noſtros, turba quæ, viſus ferit?
Qui ſuper victis triumfi, quæ reſultant carmina?
Anteit ſacer Senatus laureâ atque oſtro gravis,
Obviam progreſſus ultrò: tum renident fercula,
Hoſtiumque inſcripta produnt regna capta & nomina:
Pallidi hinc ſeqvuntur ipſi, volta figentes humo,
Atq; victorum verentur ponè ſceptra & purpurā.
Dixeris, ſub vincla miſſum fraude præcipuum ducem (lem:
Collybum dolere & artes, atq; pulſum Adherba-
Aut Samon Thracum ſubactam nunciare Caſto-
Aut Libis portenta victi contueri mœnia. (ras:
Ipſa, cerne, infrenis ore Creſſa ringitur fera,
Dumque ducitur, ſub ipſa ſæpe ducentis manu
Crine fit mulier reſecto, vir fit atq; ſemivir,
Trux Hyæna, Empuſa, Epæus, Lamia, Circe, belua.
Junge Uterq; junge vires, Creticum extirpa ſcel9.

PROPEMPTICUM,

Quo

ILLUSTRISSIMI SAXONIÆ

PRINCIPIS

MAURITII

Conſiliarium Aulicum

ſplendidiſſimum,

PAULUM HORNIGIUM,

Jure Conſultum,

Amicum conjunctiſſimum,

Vale ſibi dicentem

proſequebatur,

nomine

COLLEGII GELLIANI.

Sub finem Anni cIↄ Iↄc LXII.

HORNIGI, avito procreate ſanguine,
Ocelle noſtri duxque ſplendide ordinis,
Vindex leporis Attici, & Latii decor,
Priſcæque tutor gratiæ ac Lubentiæ,
Aſtræa leges ipſa cui credit ſuas,
Et Aula jura ferre ſubjectis jubet,
Obdormiiſſe nempè Gellium bonum
Putabis inter Atticas noctes tuum;
Et dignitates cæteris verſu ſuas
Ornaſſe; ad iſtam, rore Lethæo gravem
Omni eierato ſtertuiſſe carmine.

Noli.

Noli. Coëgit cauſa multò juſtior
Inglorioſo hoc abſtinere munere.
Inventa nondum lingua, quæ faſtigio
Par eſſe tanto poſſe ſiderit tuo:
Hæretque præſens, & moram ex mora trahit,
Timetque, culpâ deteri ingenî decus,
Dotesque Homeri prædicandas alite:
Dum cogit ipſa blandior præſentia,
Annusque verſum finiens præceps iter
Quemcunque dictat, Chœrili aut Mevi parem.
Extremus ergò rumpat hoc ſilentium,
Et te ſequenti ritè transmittat novo,
Votumque eunti, amuſſitato quod nequit,
Exaſciato ſolvat iſto carmine,
Nosque Angeronæ vinculo exſolvat reos.
Menſes per omnes Principi currat tuo,
Ipſique felix, Conſe Principis, tibi,
Qui finit Annus, quique curſus integrat,
Aliosque plures, fata ſi volent, aget.
Nectar beato fundat Urniger merum,
Mutique piſces invidere ne velint
Linguæ diſertæ: vellus auratum pecus
Suum omne donet: utque per vaſtum tulit
Cadmi ſororem ſoſpitem taurus mare,
Sic te per imbres alma Fauſtitas ferat,
Per & procellas. Caſtores quod æquoris
Marmor ruenti, ſitis hoc ambo Duci,
Menius, cor Aulæ, tuque conſilio gravi
Illi ſecunde. Cancer haut retrò gradum
Vertat malignus, mutet aut factum benè.

Acuat Leonis mite vis pectus malis,
Et jus puella ſervet Erigone bonis.
Utrique juſtâ lance Libra dēt ſuum,
Nec ſe veneno Livor exoneret Nepæ,
Caudâque pungat. Ille ſit Chiron tibi,
Tuque illi Achilles. Torvus haut vultu Caper
Longam ſenectâ contrahat triſti diem,
Ultraque ſemper lætus ætatem putet;
Dum ſera veſtro Vos redonet ætheri,
Saturosque vitæ jungat Heroum choris.

FORUM VENERIS,
Nuptiis
Ampliſſimi ac Conſultiſſimi Viri
PAULI HORNIGII,
J. U. D.
& PRACTICI feliciſſimi:
&
Lectiſſimæ Pudiciſſimæq; Virginis
SUSANNÆ SCHROTERIÆ
Sacrum.
M DC LXI.

Dilecte nobis ſemper, at nunc Cypridi
Dilecte formoſæ magis,
Conſcende mollem, Diva quem parat, torum,
Atque obſecunda nutibus:

Nec

Nec te morentur tetrico volumine
  Edicta clauſa Cæſaris,
Putealſque triſte, murmur aut creperum fori,
  Et litigantium furor.
Non cauſa mœſtis eſt agenda nunc reis
  Dubiumque ſolvendum nefas:
Nec de clientis tempus & fundo & Lare,
  Tignoque rixari indito.
Aliena ridet iſta Mater & novo
  Servire te jubet foro:
Ubi ipſa leges, ipſa dictat carmina
  Decemviralis fœmina,
Et nunc amore de jugandorum pari,
  Nunc farreandis nuptiis,
Nunc prole caſtæ matris æmula & patris
  Nepotibusque præcipit;
Titulosque mille ſaviis condit ſuper,
  Superque mille baſiis,
Eque his Novellas arte ludicra ſuas,
  Digeſta texit & ſua.
Lectus tribunal, aſſidentibus Jocis
  Et Gratiis juxta tribus,
Nihil timendum ſpirat, inſanum nihil,
  Clamoris expers & metus;
Nec terret unco, nec minaciter furens
  Verum excutit Gemoniis:
Nec ad libellos Conſulem & diem datos
  Locosque cogit ſcribere.
At teſte nullo quisque cauſæ actor ſuæ,
  Capitisque certus & rei

Urgetur, urget, vincitur, vincit ſimul,
Faſque omne in oſculis locat,
Si quid procaci forte commiſſum manu,
Aut ore factum audacius.
Jus ergo in iſtud ambula & juſſu deæ
Orare cauſas diſcito,
Siſtique, quando convadatur ipſamet
Et conſpici virum monet,
Nunc ad puellæ trepidus abjectus pedes,
Nunc conſtitutus Arbiter.
Namque ipſa verſâ credo Patronum vice,
Patrem immò te ſibi volet,
Cum victa partes non tuebitur ſuas,
Cauſæque diffidet gravi,
Pudens, modeſta, bella, contemtrix ſui
Soloque freta te viro.
Jamque ecce in ipſos languida amplexus ruit,
Ultroque tutelam rogat,
Confiſa leni flexilique pectore
Charitumque formato manu
Libethridumque, rege me puertiæ
Atque arbitrante ſingula.
Non mater olim pulchrior Cupidinum
Se judici Idæo ſtitit,
Non ſauciato promtior, Myrrhâ ſato,
Admovit os Adonidi:
Nec gratiorem cœrula oſtendit Thetis
Junctura Peleo latus.
Quanquam rubore dulce ſuffuſæ genæ,
Et lenti amoris indices,

Ægræ

Ægræ ferendam muſſitantibus labris
Opem loquantur fortius.
Exprome quicquid intus ingení latet,
Nervoſque tende, & omnibus,
Sic vult:Dione, ſic decor nuptæ meret,
Patrocinare viribus.
Erit, ipſa ſumtis cum viciſſim faſcibus,
Æquâ jubente Cypride,
Matrum ſeveris de colore lurido
Interrogatum legibus
Servabit, alto pertinax ſilentio,
Fideique promiſſæ memor,
Et non liquere blanda jurabit ſibi,
Et gratiæ multum dabit.
Aut, ſi quid olim lætius provenerit,
Factumque prodet Cinxia,
Unum, probante Soſpitâ ſententiam,
Damnabit ad cunas diem.
Quid? ipſa ut artes ridet has veſtras Themis,
Nec Gelliano ſe cupit
Vultu videri lumine atroci deam,
Aut ore formidabili:
Soloque filo virginali prædita
Se vertit in formam tuæ,
Jam non ſevera, non inexorabilis,
Non dignitate turgida;
Sed comitate, ſed lubentiâ merâ
Et ſvavitate diffluens
Leges amandi, & oſculandi, & jugiter
Idem volendi præcinit,

Oblita triſtes & Draconis æmulas,
 Cruore ſcriptas, formulas.
At Sol olympo vertitur feſſis equis,
 Aliſque Nox fuſcis ruens
Utrumque præco voce non vanâ citat,
 Et roſtra mandat ſcandere.
Inite pugnas, proque ſe verbis ſuum
 Jus quiſque lætus explicet:
Verbis, in aurem qualia Uxori Jovem
 Dixiſſe vates nunciant,
Vel qualia acri pulchra Briſéis viro,
 Aut Porcia Italo duci,
Aut de Thoante nata forti Jaſoni
 Creuſa vel dixit gemens.
Inite, quodque Cypria imperat dea,
 Quod Hymen edicit ſacer,
Et grex Amorum præſtólatur impiger,
 Intus peragite conjuges.

In nuptias
MART. FRID. FRISEN
Med. Doct.
cum
Maria Dorotheâ Brockoffin.
ANNO MDCLXII.

NOndum teporem nuptialem, FRISIE,
 Materna decoxit domus:
Et jam jugali tota gaudio ſtrepens
 Hymeneiâ fumat face,

Mollem-

Mollemque rurſus hinc & hinc amoribus
  Volantibus parat thorum.
Dicta ipſa nobis denuò vinci Venus
  Vi blandiente poſtulat,
Thalamoque veſtes ipſa cui ſternit ſuas
  Solenne carmen imperat.
Ignoſce, venam torrida exhauſit Dea
  Fragilemque laſſavit manum
Tædis ineptum nunc celebrandis citans
  Albaque parmâ inglorium.
Nec me Catulli rapidus afflavit furor
  Amabiliſque inſania
Ut ſic repentè dedicandis carmine
  Poeta prodeam toris.
At ipſe partes interim expleto tuas
  Ludoq; dulci accingere.
Nuptâ abnuente fronte nequicquam truci
  Manumque ſectis unguibus
Mittente contra: Crede non infirmior
  Forti marito, qui modo
Opima in iſto ſpolia ſuſpendit tholo
  Noſtrâ incitatus tibiâ,
Nec expetendo triſtior ſilentio
  Tropæa Victor eriges.
Vatem canendis ſin triumfis expetis
  Et prædicando robori,
Quo tela fracta, ſcuta quo ridens Amor
  Confoſſa & arma congerit;
Natus Camœna nobili puer ſatu
  Cytharâ decorus & face,

Cantor Diones, conſcius geſtæ rei
Hymenæus has partes aget.

VIRI CLARISSIMI,
M. JOHANNIS TOPFERI
Nuptiis
& Sparta Scholaſtica nova.

TÖPFERE, eodem ducte fato, iisdemq;
Damnate curis, urimur quibus lentè:
Nondumne ludi pœnitet laborumque,
Quos ſuſtinere cogimur graves ludo?
Etiamne ludum vilipendium cenſes,
Et quæ recocta ter quaterque nos crambe
Exercet usque, mentis indolem frangens
E ectioris, martya & Jovis ſummi
Putas cerebrum? barbarasq; purgare
Illiteratis ſordibus manu chartas,
Queîs omne nobis ſcilicet decus ſvadæ
Leposque tandem intercidit, Deæ flores
Vernantis agro carpere è renidenti?
Uno ſolutus implicaris actutum,
Novoq; preſſum ſubdis heu jugo collum.
Tantine ſpretum hoc pædagogicum vulgo
Facis tribunal? Nempe robur aut triplex
Hoc pectus armat, major atq; agit virtus:
Aut hos labores lance non ſatis juſtâ
Expendis: aut, quod unicum ſuper noſtris
Malagma curis, fida quicquid hîc anget,
Quæ nunc in arctos caſta venit amplexus,

Quod

Quod & precamur, ſedulò uxor abſterget,
Triſtemque ludo condiet ſuo ludum.
Nos jam, fatemur, penè tædium cepit
Miſeri laboris, ſervitutis & duræ:
Tam vile quando vidimus Scholæ nomen
Nihiliq; multis, anteà integri ſemper
Semperq; fortes, luce dignum ut haut ulla
Merſum tenebris judicent, & æternâ
Latere nocte deditum ſcholæ malint.
At tu benignâ interpretaris hæc mente,
Et altero, ſic Fata dum volunt, ludo
Gaudes teneri, mite pectus & firmum,
Cœptiq; conſtans. Hercules mihi dici
Poſſis, labore, Juno dum ferox urget,
Qui functus uno lætus alterum tentat,
Solaque ſeſe recreat ſuâ Omphale.

LANGIUS RENATUS
in Filio
SAMUELE LANGIO,
SS. Theol. D. celeberrimo, atq; apud Pegavienſes Superintendente hactenus vigilantiſſimo,

oſtenſus

à

COLLEGIO GELLIANO,
LIPSIÆ,

Feriis Pentecoſtalibus
Feliciſſimis laborum Eccleſiaſticorum ipſius auſpicibus.

A. C. CIↃ IↃC LIX.

OMitte manes patrios laceſſere
Deſiderando, jamque Parcarum queri
Deſiſte rhombos, Lipſia, ingenti viro
Orbata nuper atq; ſancto Præſule.
Redit ecce nobis Langiani nominis
Antiqua virtus, ſeque ſe reſeminat,
Ut feſſus ales, cum ſenile cinnamis
Myrrhaque buſtum funerandus extruit,
Cunasque Phœbo redditus vitæ ſuas
In æde ſacra ponit inq; ara deo.
Et jam figuræ priſtinæ apparet decus,
Capitisque canâ nigror adſperſus nive

Umbo

Umbone ab alto: jam Fides, Modeſtia,
Candorque priſcus, ſimplicisque Integritas
Germana mentis, Voxque cygnis æmula,
Et Plauſus ingens civium & conſtans Favor,
Multum rediſſe de priore clamitant:
Brevique, docti non latentibus bonis
Et invidendis ingenî, ac ſolertiâ,
(Inominatus quicquid oſcen occinat,
Et parra triſtis, principi obſcævans avi,)
Totum priorem pollicentur LANGIUM.
Videt illa, & albo viſa ſcalpit marmore,
Additque carmen GELLIUS, teſtem rei,
Non parte nulla gaudiorum particeps,
Philure, tuorum, nulla non ut pars tui eſt,
Fauſtumque tecum captat omen temporis,
Et vetera mundo nunc reverti ſecula
Aurumque credit poſſe pulsâ ærugine.
Sic mœſta ademtam Syria luget: ſic avis
Formâ renatæ gaudet & cunabulis,
Et rem diemque condit in faſtis Pharos.

Uni accidiſſe. Quid ſtupes natum recens
Abiſſe rurſus, & paterno vix ſinu
Nuper receptum transvolaſſe ſidera,
Celeremque raptum Sortis accuſas tuæ?
Abiſſe nemo crimini tibi dedit,
Nutuque magni paruiſſe Principis:
Nec quisquam obortis lacrymis flevit diem,
Qui te beatæ dotibus tantis tuis
Subduxit Urbi, nempè reddendum ſtatim,
Novaque laudis contuendum adorea.
Reddetur ipſe pulchrior longè tibi,
Longeque vultu lætiore amplexibus
Hærebit iſtis, quàm gementis ultimum
Imbellis infans oſculum admiſit patris,
Geniisq; miſtus & beatis cœtibus,
Avoque magno candidisque fratribus
Occurret olim, læta cum veniet dies,
Decorus ore, fortis artubus puer
Hauſtoque Divûm totus argutus mero.
Abivit infans? Quantulo infantem ſenex
Vincit, profundi vaſtitatem temporis
Si cogitamus, &, quod ætatem vocat
Hæc lingua, longis comparamus ſeculis?
Quantum labores deterunt ævo, rudes
Quantum anni, & acer luctus, & mortis ſoror,
Et mille adultos quæ premunt incommoda?
Beatus ille, qui, quod ingreſſus, ſtatim
Iter peregit antè laſſitudinem,
Viæque damna & horridi emenſus maris
Optatâ tetigit puppe ſalvâ littora.

Spes

Spes certa abivit? Certius quicquam queat
Æternitate mente concipi pia?
Cui chara cuncti deſtinamus pignora,
Sincera Chriſto quotquot univit fides,
Et ſpes inanes atque fallaces ſoli
Unius omnes æſtimamus haut pili,
Cœlo receptis læti & Elyſia domo,
Hæc, quæ parentes ipſe ſolator mones,
Et plura, mœſtis ore quæ pleno favis
Longeque nobis ſuggeris potentius,
Svadæ medulla, mente volve ſedulò,
Et huc vigorem priſtinum nobis refer
Animiq; robur ſemper invictum tui:
Nec frangere ictum pectus hunc unum ſine
Infractum ab omni, ſæva quem Neceſſitas
Unquam vel atrox intulit Parcæ manus,
Major Diali fortiorque Horatio.
Urbs ecce tota præſtolatur, & tuis
Laurum cupreſſis, atque plauſûs næniâ
Mutare geſtit infulamque faſciâ,
Et umbo duplex Neſtora expectat ſuum.

RES-

RESPUBLICA LUGENS.

In ampliſſimo funere

SEBASTIANI OHEIM,

Senatoris atque Ædilis

Lipſienſis.

A. E. C. cIɔ Iɔc LXII.

VIcina portu jam legebam littora,
Jam tenſa ventis complicabam carbaſa,
Urbisque feſtos læta ſpectabam dies,
Arcus, ſagittas callidâ excuſas manu,
Et fulminantes æreâ cannâ globos,
Acti laboris annui ſolatia:
Cum me repente neſcio quis in mare
Novus retorquet fluctus, atque imber gravis
Cœlum omne denſâ contegit caligine,
Diemq; tollit & prius Phœbi jubar.
Vacillo, cives, nuda forti remige,
Ipſoque malo ſaucia iratos deos
Heu pertimeſco: jamque vix tumidum fero
Æquor, minasque, triſtis Hippotade, tuas.
Demtis magiſtris, aut fragore territis,
Quô rapior? aut, Neptune, quid laſſæ paras?
Nimiumne felix viſa rectorum tibi
Curſus peracti fortiter pœnas luo?
Et portu in ipſo brevia formido fera,
Scopulisque fervor & Maléis æſtibus?
Hinc Scylla terret canibus obſcœnis rapax,
Illinc Charybdis abditâ voragine.

Incen-

Incendit æquor, potaque evomit freta :
Media ipſa jactor. Siſtito infeſtum mare,
Qui regna ſacrâ temperas hæc cuſpide,
Atrasque nubes disjice, & diem refer,
Nec tranſtra ventis frangi & antennas ſine,
Non inſolenter jacto nomen aut genus,
Pictasve puppes, Palladis licet manu
Extructa pulchris ægida oſtendam notis,
Pelagi furentis & procelloſi memor;
Nec faſciatus naufragâ truncus manu
Antiqua paſſus excidiſſe funera,
Clademque priſcam. Parce, non iras truces,
Non odia porto, qualibus tumens Pharum
Generum vehebat Romula aut ſocerum ratis
Hunc inſequentem, ferre non doctum parem.
Mens una, & unus, publicæ intentos rei,
Amor tenebat, gnata quos uni duplex
Haut pœnitendo copulabat fœdere,
Unaque vectos gemina cingebat Salus.
Quid hei repellor? Redde, redde me ſolo,
Et ad priora deliga prymneſia.
Aut, ſi profundum verrere hoc ultra jubes,
Serenitatem priſtinam reduc, Pater:
Animumque, clavus quos tenet, Heroibus,
Adde atque vires rurſus, & robur vetus.
Non melior Argo Colchicum ſecet mare,
Phryxiq; vellus & corymbos aureos
Vehat, his refectis: nec Chimæra fortior,
Opus urbis ingens, Dardanâ impulſum manu,
Priſtisve ludis currat, Anchiſe, tuis:

Sit

Sit aut Leone magna Centaurus prior,
Palmasq; poſcat. Audior! præſtò mihi
Stat Tiphys alter, alter Erginus, viæ
Curſúsq; gnarus, Arcton obſervat polo:
Geminumq; rurſus ſidus afflictæ micat,
Et damna ſoceri penſat in generis Deus.
Sic illa ponti monſtra, ſic fluctus tulit,
Sic blanda verbis Nerei avertit minas,
Imitata pinus, caſta Dodone, tuas,
Palinurus undis merſus ut pius fuit,
Ramumq; ſenſit rore Lethæo gravem,
Ædilitate clarus, haut ſegnis ſali
Auctor ruendi, comis, integer fide,
Promtus, benignus, moribus ſanctis ſenex.
At fata Proteus mitiora pollicens
Ventos & undas obruit ſilentio,
Ipſamque mulcet dexterâ vates deam,
Propiusq; amœnas leniter terras agit.

Supremo honori
HENNINGI SCHURERI
Bibliopolæ celeberrimi,
Nefario graſſatorum nocturnorum ſcelere trucidati.

SCHURERE, gentis ultimus ſplendor tuæ,
Urbisq; noſtræ dulce præſidium & decus.
Sic Te repente cernimus letho datum
Efferri, & illa, quæ ſcienter vertere

Atq;

Atque arte ſumma videramus, liberæ
Avita ſigna civitatis linquere,
Nec poſſe vitæ prorogare limitem
Lixâ interemtum perditoque milite?
Quieſce, & ictus improba impactos manu
Admitte lenis, quemque civibus tuis
Mitem, innocentem, neminique unquam gravem
Olim probâſti ſpiritum exhala lubens,
Deoque redde. Nemeſis à tergo malos
Sequetur ultrò, ſanguinisque innoxii
Pœnas repoſcet. At tibi maturior
Obeſſe Parca nil queat, nec longius
Proferre cœlum, mente quod clauſum tenes.
Suum cuique terminum rerum parens
Natura fixit, atque migrandi diem
Dixit modumque. Triſtis hunc pontus manet,
Vitæque flammas frigore extingvens ſuo
Terra repellit, cœrulæ Salaciæ
Glaucisque Nymfis additum & Nereo truci;
Illum cicuta tollit atque Theſſalis
Magus venenis, aut ſub obſcuro latens
Subſeſſor antro lancea aut ferro necat,
Nectumque arenis arbitro procul tegit.
Eſt quem ſupremo culmine ædium jacit
Vertigo præceps, aut minacis Lemnii
Urit per alta tecta delatus furor;
Vel frena mordens excutit ferox eqvus,
Humique ſternit, ungulisque proterit;
Vel ſauciatum dente funerat canis

Mar-

Marſusve nexum rete perrumpens aper:
Vel acinus uvæ, res minuta, ſtrangulat;
Ut mille fati mille noſtri ſunt modi,
Quos nemo poſſit providere in poſterum,
Vitare nemo, ſi velit cùm maximè:
Nodoſa mutus non magis quám grex queat
Vitare lina & ſubditos cibis dolos,
Aut amite lævi tenta turdus retia.
Iniqvus ille degenerque, qui Deo
Tempus modumque mortis imperat ſuæ,
Nec, undeunde detur, æqvus ultimam
Expectat horam, cupidus in molli toro
Tantum ſenilem ſpiritum profundere.
Honeſta dum ſit vita, quæ præceſſerit
Rectique cuſtos atque juſtitiæ tenax,
Nec purpuriſſo tincta fidei garrulæ,
Nihil labores. Namque cœleſtis domus
Ad limen undecunque tantundem viæ eſt.

LESSUS
In Funere
BLANDINÆ BERGERIÆ,
VIRI CLARISS.
M. JOHANNIS SCHINDLERI,
Paſtoris Brunſvicenſium meritiſſimi,
CONJUGIS
Menſe Octob. A. E. C. cIↄ Iↄc LXI.

LUgete Matres, flebiliq; nænia,
Brunonis Urbi Parca quas nocuit fera,
Dolete noxas. Ecce campanæ gravis
Turres per omnes imperat leſſum ſonus
Precesq; fundi pariter & lacrimas jubet,
Fati dolendi conſcius; mœret domus,
Circumque turtur aggemi ſibi cupit,
Sociam repoſcens atq; naturæ exprobrans
Diſrupta lecti vincla & heu celerem necem.
Blandina vobis Inſtar hîc ingens fuit
Speculumq morum, ſymbolumq; candidi
Spectatum amoris, prolis æmulæ ſui
Fida educatrix atq; cuſtos ſedula:
Quales togatæ floruere Tulliæ
Corneliaque gente natæ & Julia,
Et gemina planè conditæ Filimatia:
Vel his priores, mater Iſaci pia;
Vel dulcis uxor, vel Labanis aurea.
Blandina terris ceſſit, & mundi ſatur

Mor-

Mortalitatis exuit ſe vinculis,
Animamque cœlo reddidit plenam Deo,
Subducta curru, qualis Eliam tulit,
Igni coruſco dividente nubila,
Atque ante viſo, quàm ſederet, eminus:
Conjuxque digna conjugis digni capit
Inter beatos concinentium choros,
Ductusque molles ambientium duûm,
Epulasq; & horti dulce vernantis decus,
Æternitati deſtinata præmia.
Exangve corpus, mentis exuviæ bonæ,
Et innocentis integriq; ſpiritûs
Felix taberna, conditur templi cavo,
Quo ſacra quondam verba ſpargebat pater,
Emortuali Myſta factus hoc die,
Quoque ipſa dudum commeavit, & ſuæ
Sedem quietis lumine aſpexit pio:
Panno obvolutum, funeris memor ſui
Textum quod olim præparârat fœmina
Lotumq; pulcrè. Qualis aut nidum ſibi
Eous ales conſtruit myrrham ferens
Nardique ariſtas atque quaſſa cinnama:
Aut ad Cayſtri cygnus argutus vada
Suprema cantat. Flete Matres, carcere
In hoc periſſe matris optimæ decus,
Et lenitatis & pudoris & domûs
Exemplar ingens ordinandæ, & conjugis
Formam probatæ, & aureæ concordiæ:
Et ſi mamillæ fortè quid vobis ſalit
In parte læva ſimile, mœſto pectore

Nume,

Numero minutas vos dolete, & ocyus
Huc ſera Floræ ferte calathis munera,
Et ver ſepultæ muſtulentum aſpergite
Æterno honori. Gaudet illa floribus
Hortique donis, vivaque olim ſomniat,
Non luſa vanâ, non fugaci imagine,
Portis eburnis exeunte Morpheo;
Sed vero & ipſâ re probato ſomnio.
At vos ſepulcro nobili faceſſite
Vanæ, impudicæ, faſtuoſæ, garrulæ,
Pithecia ore, mente ſpinturnicia,
Et quæ marita jura calcatis feræ,
Capiteque ſaltus fertis & collo inſulas,
Altoque molles conditis manus ſinu,
Atque otioſæ quicquid ævi ſumitis
Rebus ſecundis ebriæ & luxu gravi,
Peſtes bonorum, manticarum hirudines.
Aut ſi tueri membra compoſtæ juvat,
Faſtum hîc & oris improbi minacias,
Virusque mentis Colchicum ſocordiam,
Rixaſque turpes atque bella ponite.
Nil tale buſto hoc, nil, protervæ, clauditur,
Pietatis aulâ, temperantiæ Lare,
Modeſtiæque fano & Irenæ atrio.
Non illa rebus fiſa mundanis fuit,
Non ſpes inanes fovit, aut ineptiis
Gaviſa, ſolo freta ſemper æthere,
Benigna egenis, blanda conſorti viro,
Modeſta cultu, mitis ancillis hera,
Tenax honeſti, non ſuprà ſortem ferox,

Natis

Natisque fortis incitatrix ad preces,
Schindlere, tanto deſtitute nunc bono,
Si me volentem pateris hanc vicem tuam
Dolere triſtem, conjugisque mortuæ
Deflere fata, pars doloris en tibi
Non parva ſiſtor: quique te mœror premit,
Tangit ſodalem, PORTA quem quondam dedit,
Et literarum dulce contubernium,
Victusque ſimplex. Æqua ſinceris venit
Fortuna amicis, ſive leni carbaſa
Impellit aurâ, ſive ſpirat acrior,
Ratemque vexat, ſed ferendo ſic gravi
Siſtor dolori, mitigando ut inſimul
Fomenta promam. Tolle nubem, & integra
Rem mente volve, Numini morem gerens,
Cui cuncta parent: quodque mœrentes jubes,
Fac ipſe præſtes, teque doctorem proba:
Factis docemus quando verbis rectiùs,
Facimusque dictis proprio exemplo fidem,
Lex una cunctos fixa mortales tenet,
Omnesque eodem cogimur, terræ pila
Quos verſat iſta, ſpiſſiusq; naſcimur,
Vitale lumen quàm datum relinquimus.
Reliquit Uxor? Non relinqueris Deo
Cum prole chara. Matre defecta eſt domus?
Non patre ſummo defici domus poteſt
Pietate fervens. Vixit illa conjugi,
Vixit Parenti, juſto utrique examine
Admenſa tempus. Dividentem quid nova
Momenta poſcis, aut præire vis patrem

Spatiis iniquis? Pignus indultum puta,
Non ævo & annis æſtimandum, ſed ſuâ,
Quam raram habebat, inclitum præſtantiâ.
Priſco repoſces redditum ſemel polo,
Et his beatis invidebis ſedibus?
Compeſce mentem. Non mori poteſt tibi,
Quæ præpotenti vivit in Nato DEI,
Inque ore famæ poſthumæ, inque animo tuo,
Marite, vivit, & medullis intimis:
Nec tota abire, quam ſepulcralis lapis
Refundet olim cœlite amotus manu
Terſam, elegantem, luce fulgentem mera,
Laterique rurſus junget avulſam viri.
Hæc mente tecum volve, & exemplo gravi,
Schindlere, luctum frange, teque Eccleſiæ
Tuisque ſerva, dicta dum ſequitur fides,
Et nos eodem læta transferet dies.

Ad

AUGUSTINUM RAPPOLTUM

Senem ipſa canitie venerabilem,

PAULI STARCKII, novelli Magiſtri

Avum plusquam octogenarium.

ERgò nepotem ſiſtimus tuum tibi,
Mitrâ decorum & annulo,
Eccleſiæque præparatum commodis,
Ecce intuendum tradimus.

Attol-

Attolle vultum, pectus & mœſtum leva,
Priſcum vigorem colligens,
Ac tanti honoris carpe lætus munera,
Primosque fructûs demete.
Cernisne, ut ipſe ponat huc inſignia,
Canoque vertici dicet,
Et ſvaviari fronde Phœbéa caput
Pulchrè impeditum geſtiat?
Tuum iſtud omne eſt, aſſere ô lubens, decus,
Totumque vendica tibi.
Nos gratulati ſpargimus flores manu,
Rhodio velut plebes ſeni, *
Et gaudio illi cernimus propè immori
Ætate feſſum Neſtora.

* *Gell. l. 3. c. 15.*

HUBERTO KOHNIO
LUBECENSI
Medicinæ Candidato
In Academia Jenenſi.

SIc itur alta principum ad faſtigia,
KÖHNI, Medentum; quando linguarum priùs,
Queîs Celſus acer loquitur atque Hippocrates
Studio fideli diſcimus diſcrimina:
Poſt ad profundæ ſcita Naturæ pedem
Proferimus ultrà, fabricamque nobilem
Humani ad unguem penſitamus corporis:
Ipſa intuemur ſacra Coi denique,

Morbique cauſas ſciſcitamur & modos,
Quali videmus te meantem tramite
Nunc de Pelasgo verba ponte ſpargere,
Nunc de Latino, utrumque felici ſatu;
Nunc aucupari principatum partium
Selectiorum & abditos artis ſinus
Hippocrateæ mente ſcrutari catâ:
Diverſâ Agyrtas & balatrones viâ,
Quos nulla linguæ, nulla Naturæ tenet
Artisque cura, cæſa queis ſapit magis
Sus in medendo, poſſe Pergameo deo
Crus obligare brachiumque Apollini
Tamen videntur, ſynciput fiſſum Jovi,
Rapiente ad ægræ damna gentis interim,
Probrumque Hygeiæ. Macte propoſito tuo
Curſuque dextro, macte KÖHNI induſtriâ,
Et te Lubecæ ritè præpara tuæ,
Ritè & parentis proferendæ gloriæ,
Ritè & Medentum: ſic ad aſtra tenditur,
Sic itur alta principum ad faſtigia.

ADVENTITIA ASTRÆÆ,
Supremo Honori
JOH. SCHILTERI, JCti
celeberrimi,
XI. Kal. Quintilis A.E.C. cIↃ IↃc LXIV.
Cœleſtum ordinibus adſcripti.

ADes ergò, cœli languida expectatio,
Ades, ultima auri diffluentis portio,

Dicta-

Dictator æqui,criminum oſor,& fugæ
Medela noſtræ,grande depoſitum ſoli,
Ades, & beatis aggregare cœtibus,
Feſſumque longis Spiritum laboribus,
Senioque triſti, recrea Divûm mero.
Satis acre terris ingeni decus tui,
Satis ampla factis, ampla gloriâ & gravis
Indulta Virtus: perſtitit longum ſatis
Fuco carentis pectoris ſinceritas
Ævi inter artes, ſeque ſpectandam dedit,
Imago noſtri. Tempus hinc concedere,
Caſtisque reddi cœlitum cohortibus.
Sic ipſa fœdâ cæde ſqualentem pilam
Exoſa liqui, priſca ſic adii poli
Et avita regna,non tenenda munere,
Sic cana mecum,jam ſatur terris,Fides
Pietasque & hujus quicquid extabat gregis
Prævertit Euros ætheremque tranſiit.
Nec nulla recti ſuppetent veſtigia
Aut ſigna gratis,ſi quis abſentum volet
Meminiſſe noſtri. Vel tribunal arduum,
Quod aſſidentem jugiter vidit ſenem,
Mecumque ſecli temperare crimina,
Seu manè paſtos jungeret Titan equos,
Seu veſperi alto mergeret feſſos mari,
Immite & atrox improbis, blandum bonis,
Centum catenis, enſibus centum minax,
Rotaque & unco, & igne formidabile,
Crebroque dictâ ſontibus ſententiâ,
Ambos fuiſſe nunciabit ſeculo.

Sic fata reduci ſvave pangit oſculum
Aſtræa Virgo, ſplendida aſſeſtrix Jovis,
Laterique dextro fortis applicat virum,
Interque plauſus cœlitum,inter dapes,
Abſtergit omnem fronte mœſtitudinem,
Nectar Juventâ porrigente dextera.

In
Obitum
Senis optimi ſanctiſſimique, JOHANNIS BORNII, IN HILMERSDORFF, JCti. LIPSIÆ

VII. Idus Sextil.
A. E. O. cIↄ. Iↄc. LX.

ACtum eſt, Amici. Deperit ſenſim genus,
Quod priſco ab ære relliqvum,
Meroque paſſim ferro & Ætneo ſitu
Rubigo ſeculum inficit.
Jamque orbe toto cana ſimplicitas abit,
Et candida exulat Fides;
Quæque ultima olim liquit hanc terræ pilam,
Nunc prima migrantum volat.
Refrixit omnis atque languet charitas,
Verbique majeſtas jacet,
Vixque aſſis omnis æſtimatur unius,
Narrata ſurdis fabula.
Madent proterva cæde compita & viæ,
Et innocenti ſanguine

(Nefas

(Nefas videre) polluuntur dexteræ,
Ullo an futuro vindice?
Sanctum feroci Numen ore læditur:
Loquique veris avia,
Et collybo unctas condere in ſinum manus
Seclum vocatur & lucrum.
Ars eſt Cotyttûs ſtrenuè artem perſequi,
Et rete Nuptis tendere:
Ars,merce comta neſcientes fallere,
Suoque veſpere vivere.
Acerba regnant divitum faſtidia,
Oppreſſioque pauperum:
Et per ruinas impotentum gloriæ
Caput extuliſſe ducitur,
Vel æſtuanti ſubruiſſe cæteros,
Qveis certa Virtus, ambitu.
Rerum potitur Numus & cenſus gravis,
Et nil habere barbarum eſt.
Jactantur ergò quo queunt pacto Boni,
Ut infra fortunas ſiti:
Et, quas labore dedicamus plurimo,
Sunt vana,Muſæ,nomina.
At ô ſenilis rara quàm prudentia
Ponis repagulum malo!
Quàm nulla, ſi quæ fortè ſanctior ſuper,
Audiris inſano gregi!
Odioſa nempè res Senex peccantibus:
Æqvumque, mundo excedere,
Nativo odora qvum ſenecta longior
Ramenta mutat pulvere:

Utque olim avitâ grandior natu domo,
Sic Mammacuthus nunc prior.
Quid heu moramur improbis mapalibus?
Quid atra in album vertimus?
Tecum hinc eamus, BORNI, eamus ocyus,
Quò tranſtulit ſedem DEA:
Quoque ire gentem Jupiter juſſit piam,
Receptuique ſe dare.
Eamus, orbis quotquot indignatio
Cepit ruentis in Chaos,
Et has profanas deſeramus pergulas,
Jurique vafro deditas.
Nec antè fas redire, quàm mentem mali
Mutent, colorem pardalis,
Polusque terra fiat, aut agnis lupus
Abblandiatur Appulus.
Phocæa quondam qualis ivit civitas,
Urbem execrata perfidam,
Laresque & agros fanaque impia horridis
Urſis reliquit atque apris.
Sed & reſorptis deſinamus lacrymis
Ornare tumbam næniâ,
Et ad beatas commeantes inſulas,
Nil præpeditis paſſibus,
Hæc damna, nullis involuta cantibus,
Ploranda demus poſteris:
Solumque jacto ter gemamus pulvere:
VALE, cinis, VALE, VALE!
Non Vate tanta, non Notore mors caret,
Nec dein carebit indice:

Nec

Nec harum, Apollo quas tuetur, ædium,
Quas ſervat integras diu,
Prægreſſa paucis hæc diebus funera,
Ruina inanis audiet.

LESSUS,

in funere

URSULÆ CATHARINÆ PLAZIÆ
ABRAHAM TELLERI

filiæ,

dolore partus extinctæ.

d. 22. April. Anno M DC LXVIII.

O Luctuoſa fata, fata ô aſpera,
Puerperarum quæ genus
Damnas labores ſuſtinere plurimos
Unius ob noxam dapis,
Tot jam per annos Lipſiæ extra mœnia
Exterminare tenditis!
Matresne caſtis collocatas nuptiis
Partu interire filias
Ævum videbunt, longiusque ſe malum
Hoc prorogabit indies?
Nec quæ impotentem comprimat potentiam
Vis ulla fortior ſuper?
Stat Sponſus anceps gaudia inter & metus,
Et, dum tenellam ſarcinam,
Primos puellæ diſcupit niſus ſuæ,
Vinclis ſolutis, cernere,
Cernitq; , verſâ mox miſellus aleâ
Flere interemtam cogitur,

Unaq; fœtum nocte merſum, aut ultimum
Certè trahentem ſpiritum,
Fruſtraque matris vagientem ad ubera
Alto indolere pectore.
Gemunt parentes atq; ducunt ilia,
Duroq; ſubditas jugo
Natas queruntur ſidere infauſto ſuas
Lare exiiſſe patrio.
Urbs ipſa pullo circumamicta ſyrmate
Formidine ingenti ſtupet,
Et ſe futuris implicari caſibus
Præſaga paulatim videt,
Tot damna ſexus totq; paſſa civium
Inominata funera.
At pavida, nulli penè amica jam viro,
Gens Virginum exemplo ſapit,
Veſtigiisque facta viſis cautior
Torum præoptat cœlibem,
Horæque ſummæ tetricas pararias
Animo execratur nuptias.
Quâ Te piemus, arbiter vitæ, Deus,
Quâ leniamus hoſtiâ:
Qui ritè partus Numinis nutu tui
Aperire maturos potes,
Idemque clauſo ventre matribus viros,
Viriſque matres eripis,
Utcunque noſtras acuis iras in domos
Exæſtuaſque crimine?
Parce ô jugali, parce mitis ordini,
Opprobrioque vindica.

Ne, ſi juventus, fato iniquo territa,
Hymeneia pacta fugerit,
Pagana major Chriſtianâ gens ſiet,
Et orcus æthere amplior,
Opusque, longis proferendis ſeculis
Quod condidiſti, intercidat:
Aut quas maritis implicavit nexibus
Jucundus error, improbo
Opem ore dicant fabuloſa poſtea
Liguri tuliſſe Numina;
Verum nequiſſe, Teque neglecto canant
Lucina fer laſſis opem!
Sed & patenti, damna plorantis, domûs
Tellerianæ vulneri,
Quod ipſe cauſis ductus haut inanibus
Inflixti acutâ cuſpide,
Æqvus medere: quosque demis Plaziæ,
Terræ evocatæ finibus
Annos, parentum maximo ſolatio,
Hanc ſubſecutis imputa.

In obitum
M. HEINR. REISLANDI
Anno MDCLXI.

REISLANDE, noſtræ lux future Lipſiæ,
Si fata ſiviſſent tua,
Quàm nunc quietis mixte cœtibus Deum
Tueris, & totam capis

Scientiarum abyſſum, & Electis comes
Inane faſtidis ſolum :
Ambita & illa plurimis ſedilia
Communitatis artium
Lucroſa multis viſa, multis aurea
Non aſſis unius facis !
Nuper juventæ ductor impiger ſacræ
Docere nunc ſenes potes,
Saturque vanâ præmioſus laureâ
Poli coronam apiſceris :
Plus dignitate plus honoribus micans
Quàm Victor in curru gravis
Jo triumfe Roma cui felix canit,
Aut miles adſtrepit ferox.
Jamque illa terris avolans tecum ſimul
Juvenem decens Modeſtia,
Morumque dudum prædicata ſvavitas
Et rara ſeculo fides,
Et illa pernox, perdia illa Induſtria,
Modiciq; Caſtitas ſoror,
Æternitatis orbitam ſimul terunt,
Laudesq; colligunt tuas :
Et tantò in arce illuſtriorem Te poli
Præconio reddunt ſuo,
Quantò minora noctiluca ſidera
Vel Solis excellit jubar.
Beate, quàm nos diſſiti procul ſumus
Quamque hæc videmus eminus,
Mortalitatis præpediti vinculis
Et luſcioſo lumine;

Dum

Dum tu coactis diſcere optantum modò
Miſtus coronis, adſpicis
Nunc Angelorum mobiles exercitus
Et glorioſos ordines,
Longeque vano vitulantium gregi
Præfers ovantium choros.
Nec ſævus aures ſtringit Æolus tuas
Aut vis furentis Africi,
Quæ rurſus ædes perſtrepit noſtras minax
Dum triſte pangimus melos,
Vitæq; pœnas ominatur improbæ
Atque execrando crimini.
Secure, neſcis quot ſit ægritudinum
Quot peſtium ferax locus,
Qui nos coercet: fortiterque deſpicis
Quæ nos timemus heu! mala.
Quieſce, tantis, quando ſic jubet Deus,
Subducte commodùm minis
Et cum ſuprema fulſerit terris dies
Atque Orbis in chaos ruet,
Melior reſurge. Spondet en dextrâ Pater,
Quò ſpiritum locat, manu,
Jungenda rurſus oſſa carnibus ſuis,
Suoque mentem corpori.

In mortem CHRISTINÆ BENEDICTI CARPZOVII Senioris JureConſulti & Cancellarii Saxonici Viduæ

Anno M DC LXI.

AVete Manes nobiles Carpzovii,
Et gaudio immenſo gradum
Adjungitote. Mater ecce ſe pia
Cœlo & beatis manibus
Nobis relictis & moleſtiis ſoli,
Adſcripta cernendam dedit
Dabitq; in ævum. Multo ſed vobis magis
Quos ſanguine attigit ſuo,
Ulnisq; fovit atque materno ſinu,
Hæc exhibet ſpectacula.
Utque Eva mirâ perculit dulcedine
Tellure formatum rubrâ
Conſpecta Adamum: ſplendidi ut Triumviri
Alto Thaboris in jugo
Thesbite viſo ſtrenuo atque Amrâ ſato
Struxiſſe ſcenas expetunt;
Sic mutua addet mutuus Vobis reos
Conſpectus iſte gaudia,
Non auferenda, non moranda, poſteris
Nec terminanda ſeculis.

Vidiſſe

Vidiſſe Jovam prima pars eſt cœlitis,
Suos ſecunda, gaudii.

In obitum
CASPARIS ZIGLERI
Senioris
JURECONSULTI
ad
CASPAREM ZIGLERUM
Filium.
Anno M DCLVII.

EXpertes luctu, & votis precibusq; dicatas
Ac miſſitando muneri
Artes delibans antiquas fortè docebas
Anni Kalendas auſpices:
Et ſumma imponens pulchro faſtigia ſcripto
Toto calebas pectore,
Publica commendans hominum privataq; vota
Ter Optimo ter maximo.
Ultimus ille tuæ fuerat, Zıglere, Camœnæ
Labos in almâ Leucori,
Editus in lucem & doctum invulgatus in orbem
Noſtroq; miſſus Gellio:
Miſſus & Illuſtri, felix aperitur ut annus,
Non ſtrena vilis, FRISIO.
Acto illo, ferit infauſtus tibi nuncius aures
Morbumque patris indicat,
Et mœſtæ lamenta domus, charæq; ſororis
Nec deſerendæ lachrymas,

Incertum vivi detur ſalviq; parentis
Vultus videre an mortui.
Durum emenſus iter tamen , & delatus in ædes
Mœrore turbatas gravi,
Vivum equidem cernis, convaſantiq; reducto
Jam fermè ſpiritu ſenis
Amplexu frueris; ſed mox extrema parantem
Lugens fuiſſe conſpicis.
Omine tam pulchro cœptus cur lubricus annus
Inominatus it tibi?
Cur quas felices fata eſſe dedere Kalendas
Nunc aſpera infelicitant?
An quia nobiſcum ſic ludit dia poteſtas,
Lætisque ſubdit triſtia,
Auſpicia oſtendens interdum fauſta;ſed illa
Verſâ exacerbans aleâ?
An ,quia quas veras cenſebas eſſe Kalendas
Triſtes fuere & funebres?
Quodque diu indulſit, nunc lapſo tempore rurſus
Natura reppetit datum,
Moroſa exactrix,appellatrixq; ſevera
Memorq; multum creditrix?
Quicquid id eſt, Ziglere,æquâ tibi mente feren-
Conſtantiâq; priſtinâ: (dum
Antiqvum quando ſervat Deus, & mala forſan
Convertet iſta in gaudia.
Nec patitur ſi quis præfracto pectore & amens
Nomen Kalendarî negat,
Ingratusq; Idûs relegentes deſpicit, atque
Hero exigenti obmurmurat,

In

In obitum PHILIPPI MULLERI Mathematici celeberrimi & Acad. Lipſ. Profeſſoris.

ANNO MDCLIX.

In verba noviſſimè ex ipſo audita:

FIAT VOLUNTAS DOMINI.

MULLERE noſtri lumen ingens ſeculi
Sic Te voluntas ergò ſancta Numinis
Arbitriumque, cui reſignabas tuas
Res æqvus omnes ultimùm cum viſerem,
Maturus ævi, gloriæ ſaturrimus,
Actum decenter atque tempore haut brevi
Mimum huncce vitæ molliter deponere;
Sic poſt ſenectæ tetricæ faſtidia
Caſusque triſtes & labores plurimos
Vinclis ſolutum corporis, plenum Deo,
Mutare terris alta juſſit ſidera.
Quid nos carere quos tuâ ſcientiâ
Tuâ arte ſummâ providoq; lumine,
Et oris illâ Romulâ melligine
Dehinc oportet? Temperamus lacrymis
Tantæque laudis mente quam damni dati
Memores, remotis ecce velis *plaudimus*
Doctamque pulchrè dedicamus fabulam.
Sed &, priores quod per annos egimus,
Ab ore penduli tuo & choragio,

Tam

Tam mite noſtros hoc in uſus vertimus
Tam præparatum pectus & fati ferens,
Totosque nutu nos ſuperno credimus.
Durare ſeu nos & manere longius
Hoc in theatro ſummus Arbiter Deus,
Aulæa tecum complicare ſeu velit,
MULLERE noſtri lumen ingens ſeculi.

Epitaphium
Philippi Mulleri.

HOc MULLERUS habet tumulo. Date lilia, Muſæ,
Eque Aganippéo vertice ferte roſas.
Sed junctim ferte. Emeruit pulcherrimus omnes.
Uranie primas tu tamen affer opes.
Jura poli docuit, legesque recluſit Olympi
Trinacrio meritis par ſtudioq; ſeni.
Nunc etiam urget opus, cœlique ardentia ſigna
Sed cœli alterius, ſed nova ſigna, videt.

In funere
CHRISTIANI LANGII
Theologi & Lipſiæ Superintendentis meritiſſimi.
A. E. C. cIↄ Iↄc LVII.

PErtæſus ævi perditos mores ſui
Terentianus obviam factum videns
Integritate ſenecionem priſtinâ
Lætatur imis Demea acer ſenſibus;

Digitized by Google

Ne magna nobis, inquit, *horum civium*
Penuria. Homo virtute is antiquâ & fide.
Cito haud mali quid ortum ab hoc ſit publicè.
Quam lætor, hujus cerno relliquias ubi
Reſtare generis. Vivere etiam nunc lubet.
Quid nos? Dolenter, Demea, ingemiſcimus
Vitæq;, fatis territi, etiam tædium
Sentimus hujus, temporum exoſi nefas
Ferrumque triſte & horridum mundi chaos,
In quod recurrit impetu ruens ſuo.
Namque Hegiones, publicæ rei duces,
Exempla morum, ſeculi aurei genus,
Virtute ſummâ, ſimplici vitâ & fide
Viros, carentes fraude vulpinâ & dolis,
Illo ex metallo quos ſuperſtites Deus
Nobis reliquit, moribus pulſos malis
Terrâ videmus urbibusque excedere,
Pariq; lentam virginem gradu ſequi.
Quales beatas nempe nunc ſedes petit
Poſt fata magni Principis, poſt & ſenum
Denſata longè plurimorum funera,
Ereptus orbi LANGIUS, ſenex gravis,
Reiq; ſacræ Myſtagogus atque apex,
Et hujus ingens robur & decus ſcholæ,
Vir priſci ad auri laminas factus probè.
Non tortuoſus, non inani turgidus
Honoris æſtu, vel ſuperbiâ tumens,
Nec verſipellis aut doloſus Migdilybs
Biſulci-lingua, purus, integer, bonus,
Rectiq; cuſtos atque juſtitiæ tenax,

Suus-

Suusque ſemper ac moveri neſcius.
Quæ cauſa cives, quæve culpa nos bono
Orbavit iſto? Quidve poſt aurum meram
Terris minatus improbis æruginem
Scoriasque turpes? Parce, parce, mi Pater,
Nec ſi proterva noſtra per faſtidia
Honos ſenectæ fors ſuus non conſtitit,
Canos ab aris aufer & trepidis focis:
Rerumq; gnaros porrò clemens ſuffice,
Paresque functo moribus, ſcientiâ
Mixtaq; comi autoritate gratiâ,
Scholis præeſſe Eccleſiisq; fac, jube,
Et huic labanti machinæ ſuccedere:
Nec fulcra noſtræ quæ Sioni relliqua,
Infirmitate concuti Pater ſine.
Non impotentis non juventæ viribus
Par iſtud orbis adminiſtrandi eſt onus:
Ardetq;, currûs cum ſuperbus occupat
Lucemq; terris pavidus impertit puer.

In funus LEONHARD. URSINI Medicinæ Doctoris nomine Collegii Charitatis.

Anno M DC LXIV.

CHARITATI

S.

QVi Cœlitum ore poſſe te fidis loqui
Scientiâq; turgidum ventrem geris,

Æs

Æs mira clangens cymbalumq́; tinniens,
Monteſq́; transfers & prophetias crepas,
Opeſq́; alendo pendis omnes pauperi,
Et uſtulandum corpus offers ignibus,
Recede,ſanctâ Charitate ſi vacas,
Nec hanc profanâ tangito tumbam manu!
Benigna,comis, blanda,nemini gravis,
Nec indecorè, nec ſuperbè quicquam agens,
Nullo furore,nullâ bile percita,
Spe plena, credens omnia,omnia & ferens,
Iniqua nulli, lucra non quærens ſua,
Livoris expers & nigræ loliginis
Veroq́; gaudens ſemper atque uno bono,
Prolapſa nunquam regiâ recti viâ
Vitæ hic caduci poſuit exuvias graves,
Beatioris illiusq́ue tegmina
Ebore atque niveis puriora flocculis
Manſura in ævum præſtolatur CHARITAS.

Ad

pie defunctam

Decaniſſam

MARIAM HELENAM

JOH. HORNSCHUCHII P. P.

& p. t. Decani Philoſ.

Conjugem.

Anno M D C LIX.

COnvivii modimperatricem ſophi
Dum te futuram providam omnes credimus,
Et

Et jam videmus apparare plurima
Curaſque chari temperare conjugis,
Fatalis inſtat ecce terminus tibi,
Et ad beatas hoſpitem menſas vocat
Stellantis aulæ. Vadis ergò & cœlitum
Epulas labore læta commutas gravi,
Terraſque linquis, noſque deſtituis tuâ
Fidâ illâ & olim prædicatâ induſtriâ.
Quid nos? Dolemus excidiſſe ſpe bonâ
Et hæc repente verſa luctu gaudia,
Orbumque caſtâ nunc maritum conjuge
Qvo noſtra fulcro nititur Communitas,
Cœlum querelis tundere omne & fletibus.
Nec invidemus interim dapes Tibi
Quas his apludis prætuliſti & flocibus.
Tantoque ſortem lautiorem ducimus
Tuam hancce noſtrâ, lautius quanto Dei
Menſâ aſſidere, quàm cibis mortalium.

Ad

HENRICUM KELLERMANNUM,

Moſcum

Matris obitum lugentem

A. E. C. cIↄ Iↄc LXX. Menſ. Martio.

UT læta tecum ſvaviter me nuncia
Mulſère quondam quæ ferebantur Tibi
Longè his ab oris Ruſſiæ è regno ſito:
Solidè utque quæ fuere cunque gaudia
Gaudere ſuevi; triſte ſic nunc perculit

Et

Et lugubre illud, fata quod tulit fera,
Atque altero orbum Te parente prodidit.
Doleo, Parentis ſive ſpem piæ exputo
Natum manentis,vita dum ſuperfuit,
Reducemque ſalvum geſtientis cernere:
Seu lene pectus, cognitum mihi,tuum
Percuſſum atroci vulnere hoc conſidero,
Fomenta quæro. Qualia aſt erunt ſatis
Tantis medendis oppidò doloribus
Tuis meisque ? Nempe quæ ſatis Deus
Eſſe ipſe ſacrâ prædicavit paginâ:
Dei Voluntas, neſcia & Neceſſitas
Flecti dolendo, ſpes recuperandi ſuos
Suffulta Verbo, & ipſa functorum Salus
Non invidenda aut proſequenda lachrymis.
Hæc ipſe toties vulneri malagmata
Prodeſſe ſenſi; ſenties & hæc brevi
Tibi profuiſſe, ſi reformidat manum
Nunc plaga fortè: Sicq; communis velut
Fama hæc utrumq; terruit ferox,Tibi
Conſenſione, credito, pulcherrimâ
Commune mecum dein erit ſolatium.

In honores

THEOPHILI SPIZELII

cum Philoſophiæ Magiſter crearetur.

ANNO M DC LIIX.

Ad imitationem Phaſeli Catulliani.

MAgiſter iſte,quem videtis æmuli,
Ait fuiſſe diligens (præfiſcini!)

Neque

Neque ullius laboris impetum gravem
Nequiſſe ſuſtinere, ſeu diluculo
Opus foret vorare ſive veſperi.
Et hoc negat ſtrepentis Auditorii
Negare ſedes, exedrasque nobiles
Sati Stagiræ, Rhetorumq; pulpita,
Et hæc probandæ dicta pubi limina:
Ubi iſte poſt Magiſter, antea fuit
Primâ impeditus laureâ, & notæ bonæ
Sæpè eruditis ſpecimen edidit viris.
Minerva Lipſica, atque Apollo Lipſice,
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitiſſima
Ait Magiſter; patriâ ex origine
Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine,
Tuo imbibiſſe pectus acre robore:
Et inde tot per impotentia freta
Æſtus tuliſſe, læva, ſive dextera
Vocaret aura, ſive Jupiter nives
Seu lene ab axe mitteret tempus ſuo.
Neque ulla vota Murciæ, nequam deæ
Sibi eſſe facta, cum veniret à Lare
Noviſſimo hunc ad uſque ſplendidum locum.
Sed hæc prius fuere, nunc recondita
Petit Lycea, ſeque dedicat tibi
Amœna Sion, & Sionis filia.

Honoribus magiſterialibus
ALBERTI HEINÆI,
Anno 1655.

TAlaſſio! Talaſſio!
Solutus ille nunc amor

Frenos

Frenos momordit, & diu
Tilieta plauſu concita
Narrata cernunt oſcula.
Dextras utrinque copulant,
Seſeque quam firmiſſimo
Confarreant ligamine
Ad mutuum conſortium,
Formâ nitens & indole
Modeſtiæq; purpurâ
HEINEUS, atq; Hellenico
Puella dicta nomine,
Rerum ſcia exactiſſimè
Mortalium, immortalium.
Jamque annulus volentibus
Violisq; mitra concolor
Ultrò atque citrò commeant,
Liberq; flammæ proditor
Volvi & revolvi cernitur,
Mens, una & unus ſpiritus
Unumq; velle ambobus eſt,
Atq; una conſpiratio.
Magiſter ipſe dicitur
Novusq; Doctor artium!
Dici ipſa ſe vult illicò
Pari Magiſtram nomine
Pariq; Doctricem artium,
O pulchra conjugatio!
Stat Juno triſtis, invido
Limans jugatos lumine,
Novoq; pactos fœdere

Dirumpi amores poſtulat.
At Gratiarum ternio,
Novenſilesque pronubæ,
Vitæ atque temporum arbitras,
Fatis nuentibus, jubent
Æterna vincla nectere
Nec diſſecanda vellera:
Junctæq; in orbem protinus
Pulſant humum alterno pede,
Lætumq; voce vinnulâ
Pæana nuptis concinunt,
Et ſiderum micantium
Numerum prius ſubducere,
Quàm fauſta mortalem volunt
Numerare quenquam tempora.
Talaſſio! Talaſſio!

IN Diſputationem D. SAMUELIS LANGII Theol. Prof. Publ. *De* Septem Verbis Chriſti, tria priora expendentem.

FAvete linguis! Verba pendentis DEI
Exaudienda ſingulis,
Animòque caſto ponderanda & abditis
Condenda pectorum fibris

Optata

Optata preſſis mole peccati gravi,
Volvenda deſerto gregi:
Feſſum advocanda ſpiritum exhalantibus,
Metu ambienda territis:
Bibenda ſiccis, plena queis dubia eſt ſalus,
Exaggeranda ſontibus:
Proficua functis inque Tharidæ ſinu
Jam molliter cubantibus:
Novo apta planè ſanciendo fœderi,
Pacique firmandæ data.
Patrem patratum vultis? Ecce LANGIUM
Miſſum potenti Numine
Linguâ diſertâ, dotibus raris virum,
Comitemque LOSCHERUM viæ,
Purâ vel herbâ Regis & fretos manu,
Vel dedicandos ſagmine.
Tabulas? Notatas ecce Regis purpurâ
Longeque priſcis impares,
Quas in Sinæo cepit Amramo ſatus
Tonitrua inter & minas.
Concepta verba? Culpa, placato patre,
Oblivioni traditor:
Omnisque precibus abeat in ventos DEI
Roſeo expiata ſanguine.
Natos parente, liberis orbos patres,
Matresque plangentes genas,
Ut multa Ratio, multa cœco pervicax
Oblatrat error impetu,
Non tutor ullus, ullus haut levet favor,
Cœleſte præſidium tegat.

Extrema paſſos Orbis expulſos minis,
Et morte damnatos truci
Noſtra illa cœli præparata civibus
Jus eſto regna endogredi.
Et reliqua avetis? Melle verba Hymettio
Hyblæq; ſparſa floribus?
Jam dicet; illa quando firmabit prius,
Et vindicabit maſculè,
Numeroque, ſolo ſancta quæ gaudet Trias,
Samii addet arcanum gregis,
Haut vanus iſti fœderi præco datus,
Nec vos feſellerit loquax.

In
D. HEINRICI HOPFNERI
THEOL.
Tractatum de Cœnâ
à
D. J. B. CARPZOVIO Theol.
editum.

EXeſte Hodegi, ſeu profana Vos legant
Præcepta Caci Væjoviſq; Romani,
Sive ater ille Genius armat in Verum
Portis eburnis miſſus! Ipſa jam nobis
Ad alta cœli veritas viam ſignat,
Aperta, ſimplex, non nitente ceruſſâ
Aut purpuriſſo tincta vana deceptrix,
Nec flexuoſo calle devios raptans.
Humana Ratio, triſte Pallados ſidus,

Ultor

Ultor Caphareus quale Nauplii dextrâ
Feſſis Pelaſgis extulit deæ ſvaſu,
In brevia & atram blandientibus ventis
Ducit Charybdim, vel tagacis in Scyllæ
Mergit profundum. Quisquis hoc tenebroſum
Metiris æquor, ni furentibus debes
Luſum procellis molibusq; præruptis,
Hac flecte curſus, albicare quà cernis (NERI
Sanctam ISAGOGEN incolentis HOPF-
Beata tecta, CARPEZOVIO lumen
Prodente mundo. Nempe ceu micat noctu
Pharos per altum pallidos regens nautas:
Sic illa portum monſtrat, atque ſtellata
Theatra pandit, nemo quæ profanorum
Aut fece turpi ſordidatus intrabit,
Nemo ſuperbus, qui decempedâ mentis
Myſteriorum menſor audit exactus,
Aut inſtitor protervus. Ille lucentes
Perrupit orbes, ætheriſq; permiſtus,
Caſtis Alumnis nectar hauſit æternum,
Qui mente purus hoc ſynaxeos uſu
Viaticatus venerit ſalutati.

In Iſagogen Librorum Symbolicorum D.JOH.BENED.CARPZOVII, THEOL.

EVaſit ergò clauſtra ſperatus liber,
Veſtæq; motis invidæ repagulis
Solutus errat, vaſta quà tellus patet,
Quà fama ſplendet nominis Carpzovii;

Et ſe per orbem didita inſerit polo:
Affectus olim, docta cum pubes Viri
Penderet ore, civis eloquio gravi,
Nunc umbilico mactus atque pumice,
Operaque Achatæ Filiiq; comtior.
Quid heu libellos ferrei recondimus
Aurumq; nulli profuturum ſeculo
Pici tenemus? inclutis laudem Viris
Cur invidemus, Veritati gloriam,
Fructumq; nobis? Fata cur non æmula
Scriptis potenter vindicamus poſthumis?
Superet relictus talis HOPFNERO pio,
Hæc quo Magiſtro venditant ſe pleraque,
Natus, ſacrarum gnarus artium ſimul,
Qualis Parentis inſtitit veſtigiis.
Qui promit iſta, Sol recens Academiæ
Oriensque ocellus: credo jam pedum ſibi,
Quos geſtit orbis cernere eruditior
Ferri ſolutos pergulas per & manus,
Docti libelli, pulvere obſiti & ſitu,
Clauſtris refractis nempe vidiſſent viam.
Sed iſte dudum tetigit, aut tanget brevi
Fors ardor illos, cura quos penes rei.
Nos te redemtum lege fatorum, Liber,
Ulnis ovantes obviis amplectimur,
Tuisq; mollem, grandis Auctor, oſſibus
Terram precamur, centuplam in cœlo vicem
Animæ beatæ, nomini æternum decus
Generiq;, charis fauſta quæque liberis.

Ad

Ad
THOMAM STEGERUM
Sub Præſidio
JOH. HULSEMANNI
de Ordinatione Miniſtrorum eccleſiæ
diſputantem.

ASſurge noſtri pars nec ima pectoris
Nec ima famæ, aſſurge felix altius
Evectus alis Hulſemanniis, velut
Per inane proles vehitur alitis Jovis,
Oculo irretorto Solis intuens jubar;
Et illa tandem prendito faſtigia,
Queis ſe probare patriæ virtus tua
Bonisque cunctis poſſit explicatius.
Jam viſa multis, jam probata plurimis,
Seque ultra tritas orbitas vulgi ferens,
Sectata tantùm quicquid arduum & polo
Vicinum inertes atque deſides fugit,
Aut fixa glebis pectora exercet ſuis.
Non parva niſus hos manebit gloria
Fructusq; parvus, prævidere quem tuæ
Regi vel olim contigit puertiæ,
Atque hic Latini ut dogma contra Præſulis,
Quis ordinare, quis manus imponere
Poſſit miniſter, Presbyterne an infulâ
Decorus auſpex & Quirinali togâ,
Antiquitate protuliſſe ex ultimâ
Doctore ſummo digna laus: defendere
Prolata poſſe ſic nec exigua eſt tua.

PROPEMPTICUM,

ad

M. FRIDERICUM WILHELMUM LYSERUM

de

Operibus Infidelium & Viribus Liberi arbitrii diſputantem.

QVis mentis error, quæ ſit imbecillitas,
LYSERE, noſtræ rebus in cœleſtibus,
Deoq; dignis, quàm profunda cæcitas,
Quàm nulla virtus, nulla vis mortalium,
Quâ Sol remotas axe terras aſpicit,
Culpæ inquinata ſordibus quæ non ſiet,
Et hoc venenum traxerit penitis fibris,
Quando erudito ponderas examine,
Verumq; Latii Vejovis contrà minas,
Quas è Tridento fulminavit oppido,
Umbone verbi tutus aſſeris Dei,
Doceſq; noſtri Liberi quid Arbitrî,
Redire primam cum jubemur in viam,
Cœloq; totos nos vovere denuò,
Poſſit facultas, caſſa viribus novis,
Quas è ſacrato comparamus gurgite,
Sibi relicta, moribus vivens ſuis,
Affixa terris, hoſtis & DEI & ſui:
Vires politi prodis ingenî tui,
Et præter illud flumen eloquentiæ,

Qui

Quò te beavit Numinis benignitas
Oſtendis artis altioris munera,
Svadæ medullæ, pectoris dives bonis:
Sicq; utriusq; nunc cathedræ te ſcium
Probas, docere jura ſive fas DEI
Et voce corda quò velis inflectere,
Sive, illa Averni pabula, Hæreticos opus
Fregiſſe verbo, maſculoq; ſpiritu:
Genti quod iſti proprium ſemper fuit,
Ortu & vetuſtis quam refers natalibus,
Ipſoq; vultu, nominisq; gloriâ.
At Hala tantas ingenî dotes tui
Dum cernit, urbi ſubtrahit noſtræ decus,
Sacrisq; blandâ voce deſtinat ſuis;
Hala, optimorum cauta venatrix virûm,
Opes Minervæ, Patrimonium novem
Vetus Dearum, Mater artium & ſalis,
Seſe beatam nobili præconio
Vitâq; ſperans integrâ tuâ fore,
Ut noſtra quondam, dum teneret arbitum
Rerum ſacrarum, patre gaviſa eſt tuo.
Nunc hæc doleret tàm repente tàm bono
Tamq; invidendo ſe excidiſſe pignore:
Ni velle ſummi Numinis retrò trahat
Mentemq; flectat, ſeque ſummittat DEO,
Qui dura quando poſtulat Neceſſitas
Fidos miniſtros mittit in meſſem ſacram
Unde unde poſſit, patriâ pauciſſimos.
Ito ergò, gratus Lipſiæ languor tuæ
Et dulce noſtri faſcinum cordis, Jubens

Quò fata ducunt, ingeniq; latiùs
Expande dotes. Illa ſperatos tamen
Fructus capeſſet, teq; Patris æmulum,
Aviq natum patriâ egreſſum ſuâ,
Ut ferre in ipſo longius mallet ſinu,
Virtute avitâ, Gratiâq; patriâ
Vicina in urbe cernet inclareſcere.

In diſputationem
EDUARDI RUDELII
à Leuenſtern
de
Inſignibus Principatus.
Lipſiæ ſub Præſidio ſuo habitam.
Anno MDCLXIII.

IN alta tendit viribus major ſuis
Juvenilis ardor, clare Rudeli, tuus
Cœlumq; ſpirat. Dædalone Te ſatum
Clymeneve dicam? Summa ſic ſemper petis,
Sic ſumma anhelas. Aureos Phœbus daret
Currus regendos, credo, ſcanderes datos,
Tanta eſt orexis, tanta gloriæ ſitis,
Præceps ferendus: Patre nec cato minùs
Ceras liquandas corpori aptares gravi.
Compeſce mentem. Non iter tentas leve,
Per ipſa Tauri devehendus cornua,
Per & Leonis ora, per chelas Nepæ,

Can-

Cancriq; curva vellicantis brachia ,
Aramque , mediam ni probè tenes viam
Curſumque , & anguis tortuoſi limitem.
Obtundor, & te major impetus rapit
Per omne vectum nuper auctorum genus,
Nec pœnitendâ præditum ſcientiâ
Fateor,ſed iſti quæ ſit impar auſui ,
Animique robur poſtulet firmum magis.
Jamque ecce curru s lætus aſcendis novos,
Manuq; habenas tangis haut tactas prius,
Dictis repugnans,grande propoſitum premens ,
Nec avocandus nec reflectendus prece.
I, quò laceſſit , contineri neſcia,
Te accenſa virtus indolesque erectior ,
Tritasque nondum pervagare ſemitas.
Nos , ſi quid olim improvidè forſan rues
Ætate lapſus palliabimus tuos ,
Æqui nec omni laude te privabimus,
Imitati amantum Najadum doctos modos ,
Atque excidiſſe gloriam putabimus.

Ad eundem
De
Româ ſub ſeptem Regibus
Argentorati
ſub Præſidio Celeberrimi BOCCLERI
diſputantem.
Anno M D C LXVI.

ERgò in cathedrâ ſtare dum rurſus cupis,
Et ſpem Parenti duplicare priſtinam

Non peſſimè olim collocati temporis,
Eduarde dulcis, ſola literarias
Tot inter artes ſola regnandi placet,
Et digna viſa nobili certamine,
Ut erudita ſcriptio docet tua,
Regnata ſeptem Roma Regibus fuit.
Illuſtre lemma! prima quod longum in decus
Creſcentis urbis pandet incunabula,
Inque unum euntes mente non unâ viros
Oſtendet orbi, *Romulum* æſtu acrem gravi,
Numamq́; cultu, Marte *Tullum* nobilem,
Ancum arte curta proferendi mœnia,
Trabeaq́; *Priſcum*, *Servium* cenſu, efferum
Faſtu *Superbum*: multa monſtrabit ſimul
Quæ vel cavere, vel ſtudere fas bonis,
Orbi regendo fata quos dant, arbitris.
O liceat amplam diſſerendi copiam
Svadamq́; ſummi rebus in tantis Viri
Aure imbibiſſe, teq; munitum probè
Sub ægide illâ ſtrenuè decernere
Coram arbitrari: non magiſterio magis
Pallanta tutum Muſa Dardanii ducis
Laudet Maronis, arte nec Chironiâ
Generoſum Achillem Papinî extollat melos,
Quàm te ſub illo velitantem Præſide,
Ut imbecilla, Pieris cantet mea.
Nempe ut docere multa nos infantia
Populi Quirini, cultioris ingenî
Expenſa lance; nemo ſic BOECLERIO
Expendere illa, nemo rectius poteſt.

Gra-

Gratulatio ad eundem
cum de Cupiditate Gloriæ ad Taciti
Hiſt. 4, 6, 1. Orationem publice
haberet.

Lipſiæ M DC LXII.

PRiſci placere primipili gloriam
Dum cerno,& anſam,docte Riedeli,tibi
Dare erudita perſonandi pulpita:
Quid mente volvam,candidè, quid omines,
Dicam volenti. Gloriæ appetentior
Videris ipſe,roſtra ſcandens hæc,mihi,
Modeſtiæq; tranſilire limites,
Arcûs, tropæa, laureas crepans meras,
Et, poſt inane funus,invictum decus,
Secloq; edaci firmius præconium.
At dum placere cæteras dotes Viri
Laudesq; cerno, Mentis indolem bonæ
Studiisq; merſum pectus altioribus
Teneris ab annis,nec,ſuperbo nomine
Effaſcinatum,ſegne velans otium,
Firmum atque conſtans fortuita ſpernere,
Publicæq; molem ferre idoneum rei,
Tenaxq; recti, vividum adverſus metus:
Dum te probare curioſâ indagine
Obſervo, & ipſum ſplendido exemplo ſequi,
Doctos magiſtros, ſola qui laudent bona,
Quæ ſunt honeſta, ſola culpantes mala,

Quæ turpitudo pervicax contaminat;
Neutra illa,fines hoſce quæ haut tangunt duos;
Flammam excitati gratulatus ingenî
Abſolvo culpâ, & ipſe linguam corrigens
Recanto dicta, & eſſe pernego nefas,
Nitenti ad alta principum faſtigia
Alacri virorum,& æmulo priſcis gradu,
Priſci placere primipili gloriam.

Ad
CHRISTIANUM LANGENBERGIUM
Sub Præſidio ſuo De ſomno diſputantem.

DUm diſputando prodere indolem cupis
Amica Muſis,menſæ amica pars meæ,
Non vana fingis, non facis mapalia,
Coſſutianas aut tabernas extruis:
Vitilitigatrix turba quales aſſolet,
Turres inani pendulas in aere
Plerumque formans. Regia ecce ſtat tibi
Extructa SOMNI, fabricæ ingenti æmula
Naſonianæ. * Regis in prothyro grave
Scriptum quadratis *Nomen* extat literis,
Et ſparſa ubique per ſolum papavera
Herbæque molles indicant dominum domus.
Ipſe intus alto languidus *ceſſat* toro

* *Metam.L. XI. fab.*11.

Mem-

Membris ſolutis, ſive per diem gravi
Fractus *labore*, ſive leni veſpere
Madens *Lyæo* feſſa clauſit lumina,
Securus, omni provolutus corpore.
Namque inquietæ ſi qua tranſcurſu vago
Hero moleſta eſt, *obſtruit* turbæ vias,
Vetatq; adire nata Edinâ gens Deâ.
Nox ipſa grato ſe probat ſilentio
Stertenti, & *unda* dum ſtrepunt crepantibus
Subtus lapillis, dulce murmur accinunt:
Quod *Hygéa* & acri robore adſtructus *Vigor*
Adſtansq; *Virtus* aure præſenti bibit.
Fúgit acer ales atq; odora vis canum,
Loquaxq; nullus ſervat anſer atria,
Solâ quiete tuta: nec feræ metum
Aut tincta viru lingua rixantum facit,
Nec clamor ullus. Luſibus ſolus vacat
Grex *ſomniorum* circa, & ante conditis
Merſum ſopore nunc levat *Viſis* patrem,
Nunc terret audax, ſeque portâ proripit
Fallax eburnâ, dum redire viribus
Deum receptis cernit, & *Vigiles* rotas
Referre Eoo montium jugo diem.
Hæc illa moles, ingenî hæc docti eſt tui
Structura & arte perpolita machina,
Amica Muſis, menſæ amica pars meæ,
Dum diſputando prodere indolem cupis.

Ad

Ad

FRIDERICUM LANDSBERGERUM DRESDENSEM, de Felicitate Europæ perorantem.

A. cIↃ IↃC LX.

EUROPA.

VEtuſta noſtræ ſortis illa fabula eſt,
Falſoq; dicta ſum bovis
Preſſiſſe dorſum vatibus nugacibus,
Latumq; vecta per mare,
Pratis relictis atque vernis floribus
Tyriisque virginum choris.
Quod me ſcatenti belluis ponto dedit
Longè recentius malum,
Taurusq; Bellum eſt, nocte ſubluſtri cui
Incauta credidi latus,
Scopulosque præter & procellas nil diu
Abrepta vidi & æquora.
Tum queſta demum conſilî expertes vias,
Fidemque portantis feri:
Quò veni & unde? blandiensve quis furor
Hæc terga juſſit ſcandere,
Cornuque ſertis cingere & leni manu
Palpare pectus horridum?
Quàm ſæpè fluctus inter & cœli minas
Gemens adhæſi, & improbo

Tan-

Tandem labore triſtis hoc & naufragi
  Emenſa quicquid eſt ſali,
Tanaim quod inter fervet atque Atlantides,
  Forti acquievi remige.
Beata, portum ſalva quod nunc attigi
  Latente ſub tauro deo,
Et me per æſtus perque Thetyos ſinus
  Ducente fauſto ſidere.
Jamque alma rurſus adſtat expoſitæ Venus,
  Comesque matri filius,
Sed alta ludens Principum connubia,
  Sed Galliam Hiſpano jugans,
Et de Britanno, reddito genti ſuæ,
  Hymenæa mundo pollicens.
Nec me juvencum laniare nunc juvat,
  Manuve cornu frangere,
Placidam, ſerenam, litis expertem malæ,
  Et Martis exoſam metus;
Ac ferre magnam diſco fortunam magis
  Europa felix, ut prius.
Vix hæc locuta, FRIDERICE, virginis
  Cum dedicatas nomini,
Hominum videndum & Urbium propter decus,
  Iturus in provincias
Sermone docto jam vocantis, jam tuæ
  Felicitatem prædicas,
Olimque dignum te relictis frivolis
  Ad principes curas probas.

In Georgii Landsbergeri Dreſd. Orationem De Genere vitæ.

INcauta, ſocors, Lentulorum de ſatu
Quid heu moraris edita
Vitæ, juventus, tendere ad certum tuæ
Finem, acer hoſtis Murciæ?
Paſſimne corvos ſequeris & teſtâ & luto
Incerta quò ferant pedes?
An arte in unâ deligendâ fluctuas,
Et perpes hoc ſalum premis,
Utroque nobis arguenda crimine
Utroque noxia & tibi,
Dum tranſit ætas, trudit & dies diem,
Et mentis interit vigor.
Ignava, ſegnes rumpito actutum moras,
Vanæque curæ deſine.
Ac corde in imo convocans ſenatulum
Decerne laudatum genus,
Quod vel priorum nobilis monſtrat chorus,
Natura vel dictat ſagax,
Vel ipſa, mentem ſæpè quæ invitam trahit,
Fortuna cogit perſequi.
Ubique præſtò, ne ſupinus ambigas,
Labore cui proſis tuo,
Mundumque virtus vendicat totum ſibi
Non urbe clauſa aut mœnibus.
Bello tropæa non licebit figere?
Ambire honores fas erit. Veti-

Vetitum tribunal, roſtra vetita & Curia?
Privata te laudet domus,
Frontemq́; primam ſi tenebunt cæteri,
Triarios inter mane;
Et voce ſaltem, ſi nequis ferro, juva
Hortatibusq́; milita.
Suffes ſit ille, ſit gravis caducifer
Prytaniſque ſubjectos regat;
Tu vel feroci ritè ſervulo impera,
Vel ſi minus potes, Tibi.
Eſt in ſecundis glorioſum conſpici
Eſt glorioſum in tertiis,
Si prima nobis non licet contingere,
Lauſq́[illegible]ltimis manet ſua.
Hæc te, [illegible]RGI, dum monentem audivimus
Oratione vinnulâ,
Dumque ire, Virgo quò patrima, quò genus,
Quò fata mandant, vidimus:
Macte eſſe mente plurimum iſthac juſſimus,
Sophosque diximus tibi
Rei ſalutem pollicentes publicæ
Charoq́; gaudium Patri.

MAGISTERII PHILOSOPHICI Candidatos atq; alios Benevolos Lectores Studioſos

ad

COENAM POETICAM

prælecturus Epiſtolam V. Libri I. Horat. invitat.

D. 17. Novemb. Anno M DC LXI.

PRopè eſt Magiſtris annuentibus Sophis
Ad veſtra, Amici, cum vocabor prandia.
Venire vultis? Quam paro, Cœnam prius Gu-

Digitized by Google

Guſtate noſtram. Lege non aliâ bibam
Nec grata carpam quæ dabuntur fercula.
Quid hæſitatis, quidve ridetis vaſri?
Nil ludo, cœna jam parata eſt ſplendida,
Brutoque digna, Septimique honoribus
Et torque nomen cui celebre Manlio.
Sed non ſupremo, ne quid erretis, die
Dabitur, nec horam vendicabit ultimam;
Cras medio in axe quando Phœbus luxerit
Veſtri ſequetur fermè tempus prandii,
Par illi & arte par & apparatibus.
Potare vultis atque flores ſpargere?
Probè madulſæ abibitis, ſaturi probè.
Nec ipſa cuiquam crimini Ebrietas eſt,
Laudata nobis utilisque cognita.
Aſſumere umbras? Pluribus locus vacat,
Âvosq; centum fas erit confingere.
Sermone noctem tendere? Impunè hic licet
Magisque veſtrâ (ignoſcite ô) caligine.
Torale mundum, munda mappa & cantharus
Et lanx electro purior nobis nitet.
Ac ne ſedili quis queratur de malo,
Amico amicus parq; jungetur pari:
Eliminabit dicta nec quisquam foras
Niſi quæ Magiſter ipſe vulgari volet.
Adeſte! Cœna ſi minus placet mea,
Minturna Rhenum vina præſtent, ſitque olus
Modicâ patellâ pulte amygdalinâ prius.

AUDITORIBUS

Kal. April. Anno M D C LIIX.

S. Horat.

HOratianâ laude Vitæ ruſticæ
  Dum prælegendâ inæſtuo,
Et ut pudica mulier in partem juvet
  Domum atque dulces liberos,
Felicitatis hujus haut partem levem
  Ritè explicare geſtio:
Domum ecce chara mulier auxit, & Virum
  Me compotivit filiâ.
An ut valere ruſticâ juſſâ Pale
  Vitam oppidanam præferam,
Idemq; cernam poſſe Romanas nurus,
  Quod & Sabina & Appula.
Quicquid ſit, iſtâ partem in illam non parum
  Me partione compulit:
Certè abſtinere ad unum & alterum diem
  Coëgit altis laudibus.
Vos me vacare Nixiæ permittite
  Tantiſper oro, vel ſacro
Vacare potius flumini permittite,
  Et abluendæ filiæ.
Non longa cœptis devocabit me mora,
  Aut veſtra rumpet commoda.
Quin ſic agreſti nunciam mittam rei,
  Ut fœnori ſuo Alphius.

In Brunellum canem
furto ſurreptum.

BRunelle belle, bellior Lipſi cane,
Vel quos puellis blanda fundit in ſinum
Melite, catellis, fide cuſtos ædium,
Comesq; noſtri prodeuntis PAULULI,
Heri voluptas, dulce tædium aſt heræ, Quæ

Quæ te ſceleſta ſurpuit manus mihi,
Chariſq; juſſit exulare ſedibus
Repente noſtris, propriiſque abſcondidit?
Non ille veritus culmine in ſummo reor
Jovi coronam clepſe: nec minus caput
Furti alligavit Herculi avertens boves,
Verſis viarum callidè veſtigiis
Semihomo Cacus. Ille guttur frangere
Senile patris poſſit: ille Colchica
Tractare, & altâ nocte ſpargere hoſpitis
Domum cruore: matris ille ab ubere
Raptos nefandâ ſtrangulare dexterâ:
Qui te decorâ præditum pinguedine
Altumque noſtrâ ſæpius quadrâ & manu
Mactarit unquam, vel doloſis funibus
Inter trementem cluſerit heu! ſpiritum.
At ô cubantem, quiſquis infectum ſcelus
Minaris iſtud, Ditis ad nigras fores
Canem verere, & improbam abſtinens manum
Hac parce ſaltem: deque micis paululum
Projice petenti. Crede, non multi eſt cibi,
Multum ut videri jugibus latratibus
Poſſit morantem poſcere (hic mos) hoſpitem,
Parvoq; orexin ſedat acrem fruſtulo,
Motaque grates caudulâ ingentes agit.
Vel ſi quis olim ſanguis ingenuus tuos
Fluxit per artus, redde ſublatum precor,
Novoq; mœſtum compotito gaudio,
Apollo quale ſenſit, Admeti boves
Cum furto abactas reddidit Majâ ſatus.
Sic te ſecundo portitor vehat ſenex Cur-

Curſu per undas, nec ſeveras Arbiter
Inane Minos imputet furtum reo.
Sic ego receptum rurſus amplectar canem,
Tecumque longos lætus exigam dies
Brunelle belle, bellior LipsI cane.

In Cattiterographiam Cellarianam Lipſiâ Cizam translatam.

QVæ te Camœnis ſors iniqua Lipſicis,
Quæ livida avertit dea?
Magiſter artis optime ô Chalcographæ,
Uſuq; longo cognite
Primumq; per ſuburbiorum rudera
Ferre æneos cogit typos,
Mox Citizea viſere ad pomœria
Novasq; ſedes quærere?
Nullusne in urbe reſtat amplius locus
Ut ante, pulchris artibus?
Hodieq; res minor fit atque heri fuit
Eademq; cras quid deterit?
An ſors minatur eruditis cœtibus
Ærugo quid ſecli vetus,
Et hoc Dearum vilipenditur decus
Natum juvandis literis,
Migrent ut ipſæ tantò poſtea ocius
Exoſæ in orbis ultima?
An major aliqua vis volentem ſubtrahit,
Atq; ire in hanc coloniam,
Qua literarum ſe ſeges prodit nova
Avi ſiniſtrâ præcipit,
Atq; auſpicato MAURITI tutamine
Tot poſt acerba perfrui.

Hoc

Hoc nempe rebus augurabimur tuis
　　Qui comiter te novimus,
Et omen illud deſpuemus alterum
　　Inominatum literis:
Teque hinc in iſtâ, Lipſiæ quæ cernitur
　　Typographorum copiâ
Et hac benignâ Principis clementiâ
　　Quâ Ciza ſurrigit caput,
Ad lucra abiſſe prædicabimus tua,
　　Salamina Teucer ut ad ſuam.

POEMATUM FINIS.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

FEſtinationi noſtræ, dū nundinis his vernalibus integrum libellum tibi dare animus erat, imputabis comiſſum in *Præfatione ad Lectorem* errorē. In eâ enim quinq; lineas, priori plagulâ extare arbitrati, cum in ſecundæ primordio extare deberent, omiſimus, loco ſuo ſi integrum ſenſum aſſequi velis, reſtituendas. Itaq; confinia primæ & ſecundæ paginæ ſic aptabis ſibi & ſupplebis: *Nempe ut Homerus, pauca præfatus, ſtatim Virū introducit aliquem aut fæminam, aut mores imitatur. Ego pauca imitatus hiſtoricè magis, quàm poeticè rem expoſui. Quod excuſare aliquà argumentum & hiſtoria, quam migrare nolui, Veritas poſſit.*

Ab Operarum autem noſtrorum negligentiâ *pagina* 234. cū 235. perverſa profluxit collocatio: quā tu tamen primo ſtatim intuitu vel oculis ſvadentibꝰ corrigere poteris; ſicut & reliquis levioribus erratis pro humanitate tuâ ignoſces. Vale.

IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google